UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Sacramentum Ordinis

**Biesmann, Caspar**

**Coloniæ Agrippinæ, 1694**

urn:nbn:de:hbz:466:1-42240

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2392.
~~E. II~~
~~34.c~~
G X. 5.
G. I. 40.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# SACRAMENTUM ORDINIS,

Sub umbra Doctrinæ Moralis, & Theologicæ, Salutaribus Monitis, & Documentis.

à

R. P. CASPARO BIESMAN
Societatis JESU Theologo

variè illuſtratum.

Collegij S.I. Paderbornæ 1695.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud ARNOLDUM METTERNICH, propè Auguſtinianos, Anno 1694.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*JOSEPHO, Sponſo MARIÆ Virginis, JESU CHRISTI Nutritio.*

SAcramentum Ordinis, cujus finis & ſcopus eſt, Euchariſtiam rite adminiſtrare, nulli rectiùs inſcribere potui; quàm tibi Viro, ut loquitur Ruffinus, per omnia incomparabili, tibi inquam, ô beatiſſime JOSEPH, qui teſte Bern. *Serm. 2.* ſuper miſſus panem vivum è cœlo (panem Euchariſticum) ſervandum accepiſti: factus Eccleſiæ Dei Oeconomus, cui panem vitæ & frumentum Electorum conſervaſti. Quis obſecro, quis dignè eloquatur, quâ reverentiâ, quâ pietate, quo amoris exceſſu ſacratiſſimum pignus, tuæ fidei concre-

ditum, JESUM, Dei & MARIÆ Filium, brachiis ſuis exceperis, quàm dulcia ori ejus oſcula fixeris, quàm ſolicitâ curâ eundem nutriveris: verè fidelis Servus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ Matris ſolatium, ſuæ carnis Nutritium. O quoties, ut loquar verbis S. Iſolani *p. 3. c. 1.* Maximus JESUS in gremio JOSEPH quievit! Ejus collum ſacris ſuis tenens brachiis, pectori illius ac humeris hærebat. Quievit in JOSEPH corporaliter, &c. quievit fiduciâ, quievit lætitiâ, &c.

*Deque viri collo, ut canit Poëta Faſtor. 2. dulce pependit onus.*

O ſi omnes Eccleſiæ Miniſtri pari tecum fervore, pietate & amore, cœleſte hoc pignus, JESUM ſpeciebus Euchariſticis occultatum proſequerentur, ſuis quotidie manibus devotè exciperent, reverenter tractarent,

ctarent, & optatam in cordis gremio quietem indulgerent! Fuerunt ſane ô Vir ſanctiſſime, tua erga Chriſtum devotiſſima obſequia, eorum Miniſteriorum, ad quæ modò Eccleſiæ Miniſtri per ſacros Ordines deputantur, tacita præludia; ut proinde non ſecus ac vernans & liliis, roſis, aliiſve floribus dives hortus apes exſpectat: ita tu pietate, amore, reverentia, cultu, devotione, in puerulum JESUM amorem tuum, veluti amœnâ quadam ſuaveolentium florum varietate cumulatè locuples, apes, hoc eſt, Caſtos Eccleſiæ Miniſtros præſtolaris, qui dulciſſima debitæ pietatis, devotionis, & obſervantiæ, erga JESUM Euchariſticum, mella ex te colligant. Tuis igitur pedibus, ô ſanctiſſime JOSEPH, chariſſime mihi ſemper Patrone, cujus amor à

à primis annis arctè hæſit pectori meo, exiguum hunc laborem, ſummæ Excellentiæ tuæ minimè parem, humillimè advolvo, ut te propitio, te favente parvus hic labor, quem *magnum JOSEPHI nomen obumbrat*, magnum pariter amorem, reverentiam, & cultum erga JESUM Euchatiſticum, omnibus Eccleſiæ Miniſtris conciliet; donec tandem dulcem JESUM, non jam in Myſteriis, ſed facie ad faciem unà tecum in beata cœlitum æternitate viſuri ſumus, ita unicè vovet & optat

*Tuo Nomini devotiſſimus*

C. B. S. J.

# PRÆFATIO

## Ad b nevolum Lectorem.

AMice Lector, Sacramentum Ordinis, quod ex fine ſuo ſpectat d bitam Sacramenti Sacramentorum, hoc eſt, Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ adminiſtrationem, in brevi & parvo compendio tibi exhibeo; ut tria hinc addiſcas, primò ipſorum Ordinum naturam, eſſentiam, munia, & effectus, tum ad illos ſuſcipiendos requiſitam diſpoſitionem, ac denique ſubſequentem ex eiſdem rite ſuſceptis obligationem: adjectis inſuper, & ſparſim inſertis variis & opportunis monitis ac ſpiritualibus documentis, ea brevi & facili methodo, ut compendioſus hic labor non ordinandis modò, verùm etiam ordinatis, tam Sacerdotibus, quàm aliis Perſonis Eccleſiaſticis inſtar præambulæ lucis ad inſignem ſcientiæ vitæ & morum honeſtatem, virtutéſq; Eccleſiaſtico ſtatu dignas viam ſit monſtraturus. Invenies namque in parvo hoc

*vo hoc opere plurima, etiam minus obvia, à diverſis Auctoribus ſparſim tractata, veluti diffuſos ſolis radios in unam quodammodo lucem collecta, quæ celeriùs, & efficaciùs ſcientiæ ac virtutis lumine te colluſtret. Volve igitur, & revolve Libellum parvum ſedulitate non parva, ad ambulandum dignè ſacra vocatione tua, quâ vocatus es, augendamque Jeſu Euchariſtici, cujus Miniſterio Ordo te deputat, ſummam maximámque gloriam, & vale.*

# PARS I.

## *De Natura, Numero, Materia, Forma, Miniſtro, & Effectu Ordinum.*

## CAPUT I.

### *De Nomine, & Eſſentia Ordinis.*

Nomen O dinis variè accipitur.

NOmen Ordinis inter varias hujus nominis ſignificationes tripliciter accipi poteſt. Primò pro legitimâ rei cujuſque collocatione in ſuo loco : Sic in templo, altari, domo, &c. dicuntur omnia rite eſſe ordinata ſive eſſe in bono ordine, quando ſingula ſuo loco ſunt collocata & poſita. Secundò per excellentiam ſumitur pro certo hominum ſtatu, ſic dicimus eſſe aliquem Ordinis ſive ſtatus Religioſi, Clericalis, Sa-

cerdotalis, Epiſcopalis, &c. Tertiò pro cæremonia ſacra per quam quis collocatur in certo ſtatu & gradu Miniſtrorum Eccleſiæ. Et in hac poſtrema ſignificatione Ordo dicitur Sacramentum, ſoletque definiri à Theologis hac brevi definitione: Ordo eſt Sacramentum, quo confertur ſpiritualis poteſtas circa Euchariſtiam rite adminiſtrandam. Dicitur Sacramentum, quia eſt ſignum ſenſibile ſive cæremonia externa à Chriſto inſtituta, cauſativa gratiæ; non modò habitualis ſive hominem juſtificantis, ſed etiam actualis ad munia cujuſque Ordinis rite obeunda; quo confertur poteſtas ſpiritualis, ſignificata quidem per materiam, attamen clariùs expreſſa per Formam, circa Euchariſtiam rite adminiſtrandam. Eſtque hæc poteſtas duplex, immediata & mediata. Immediata confertur ſoli Sacerdoti, qui immediatè, id eſt, nullo alio Eccleſiæ

Definitur quid ſit Ordo.

Miniſtro

Miniſtro mediante per ſe & directè conficit Euchariſtiam; mediata autem reliquis in Ordine inferiore conſtitutis. Illis enim datur ſola poteſtas exercendi ſacrum aliquod Miniſterium, quod dirigitur & ordinatur ad conficiendum à Sacerdote Corpus & Sanguinem Chriſti, ut patebit conſideranti ſingulorum Ordinum officia & functiones. Nec obſtat poteſtatem abſolvendi in Sacerdote non eſſe circa Euchariſtiam. Nam, licèt non ſit circa illam directè & formaliter, eſt tamen circa illam præſuppoſitivè; quia poteſtas abſolvendi eſſentialiter præſupponit poteſtatem conſecrãdi. Qui enim non habet poteſtatem in verum Chriſti Corpus, nec habet poteſtatem in Corpus ejus myſticum, id eſt, in fideles Chriſti. Atque ex his modò dictis manifeſtè ſequitur, Ordinem non eſſe certum aliquem ſtatum, in quo homines vivunt, ſed eſſe externam

aliquam cæremoniam ſive ſacrum ritum; per quem, ut ſupra dictum, collocatur quiſpiam in certo ſtatu & gradu Miniſtrorum Eccleſiæ.

*Rectius dicitur Ordinatio quam Ordo.*

Unde hoc Sacramentum rectiùs dicitur ordinatio quam Ordo, quia efficit diverſos gradus & ſtatus in Eccleſia Dei, & unumquemque

D

ad certum gradum ſtabiliter promovet ac ordinat: prout etiam Trid. *Seſſ 23. de Sacrament Ord cap 4. Can. 3.* hoc Sacramentum nominat Ordinationem. Dixi ſtabiliter promovet.

*Poteſtas in Ordinatis eſt immutabilis.*

Nam ordinari non eſt nudè deputari ab Eccleſia ad officium aliquod Eccleſiaſticum, ita ut poteſtas exercendi hujuſmodi officium ſemel tradita revocari, & denuò auferri poſſit, ut volunt Acatholici; sed eſt ſtabiliter conſecrari in Miniſtrum Eccleſiæ, ita, ut poteſtas exercendi Miniſterium Eccleſiaſticum deinceps amitti vel auferri nequeat: licèt hujus poteſtatis uſus & exercitium ab Eccleſia

prohi-

prohiberi poſſit per ſuſpenſionem vel irregularitatem. Vide Laym. *Tr. 2. de Sacram. Ord cap. 1.*

# CAPVT II.

## *De numero Ordinum.*

SEptem à Theologis paſſim aſſignantur Ordines: nimirum quatuor Minores, ut Ordo Oſtiarii, Exorciſtæ, Lectoris, Acolythi, ſive Oſtiariatus, Exorciſtatus, Lectoratus, Acolythatus, & tres Majores, ut Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotium, quod à nonnullis ſubdividitur in minus, eſtque illud, quod ſimplici Sacerdoti confertur, & in Sacerdotium majus ſive Epiſcopatum: ita ut Presbyterium & Epiſcopatus non ſint duo Ordines, ſed unus, qui in Epiſcopatu extenditur ac perficitur: ſicuti non ſunt duo Ordines, quando Sacerdos accipit poteſtatem conſecrandi & pote-

Septem ſunt Ordines, quatuor Minores, tres Majores.

Epiſcopatus non eſt Ordo diſtinctus à Sacerdotio.

poteſtatem abſolvendi ; ſed prior dicitur extendi & perfici. Et juxta hanc doctrinam Epiſcopatus non poteſt ulli conferri , quàm Sacerdoti, quia ſupponit Sacerdotium, & cum illo unum integrum & perfectum Ordinem conſtituit , perfectum nimirum Sacerdotium. Sylv. *Verbo Ordo.* Henriq Bon. &c. Adde quod Ordines diſtinguantur per diverſam poteſtatem, quam tribuunt circa Euchariſtiam ; Epiſcopus autem circa illam non habet majorem poteſtatem quam ſimplex Sacerdos ; ſed tantum poteſt conferre duo Sacramenta Confirmationem & Ordinem, quæ non poteſt ſimplex Sacerdos. Præterquam quod hac ratione ſalvetur ſeptenarius numerus Ordinum paſſim in Eccleſia receptus , qui numerus rectiſſimè ſumitur ex diverſis actibus,quos ſinguli Ordines exercent circa Euchariſtiam : nam aliqui verſantur circa il-

lam vel conſecrando, ut Sacerdotes, vel propinquiùs miniſtrando, ut Diaconi, vel præparando ſacra vaſa ad Miſſæ Sacrificium, ut Subdiaconi, vel præſentando aquam & vinum, ut Acolythi, vel liberando obſeſſos à Dæmone, ut Miſſæ intereſſe poſſint, ut Exorciſtæ, vel Lectione ſacrâ præparando fideles ad devotè aſſiſtendum Sacrificio, ut Lectores, vel arcendo infideles, aliósque qui dignè ſacris intereſſe nequeunt, ut Oſtiarii.

Munia ſingulorum Ordinum circa Euchariſtiam.

Interim non eſt improbanda opinio Valentiæ *Tom. 4. diſp. 9. quæſt. 1* & aliorum docentium Epiſcopatum eſſe Ordinem à Sacerdotio diſtinctum, utpote per quem confertur ſpecialis poteſtas circa Euchariſtiam, nimirum poteſtas creandi Sacerdotes, quæ etſi non ſit immediatè circa Euchariſtiam, eſt tamen mediatè, ipſo nimirum mediante Sacerdote, cui Epiſcopus tribuit poteſtatem conficiendi Corpus & Sangui-

Non eſt improbabile, Epiſcopatum eſſe Ordinem diſtinctum à Sacerdotio.

Hinc non rectè infe-res eſſe plures Ordines quam ſeptem.

nem Chriſti. Quæ ratio ſi te fortè convincat, non idcircò contra cõmunem uſum dicas plures eſſe Ordines quàm ſeptem. Nam Ordines qui promiſcuè & ordinariè conferri ſolent, non ſunt niſi ſeptem: & de his, ut rectè notavit Fill. ſermo eſſe ſolet, quando dicimus ſeptem eſſe Ordines. Epiſcopatus enim non promiſcuè & ordinariè, ſed admodum paucis & rarò conferri ſolet.

## CAPUT III.

*Explicatur, quinam Ordines dicantur Sacri, & utrum omnes ſint Sacramenta.*

OMnes quidem Ordines ſunt Sacri & ad cultum divinum deputati; tres tamen Majores dicuntur ab Eccleſiâ Sacri ob annexum votum ſolemne caſtitatis, per quod ſuſcipientes pleniùs & perfectiùs conſecrantur Deo: nominantur autem Majores, quia Majo-

Majorem præ Minoribus tribuunt poteſtatem v. g. celebrandi Miſſam, propinquiùs miniſtrandi Sacerdoti, dum celebrat ſolemniter, qualem non habent Minoriſtæ, id eſt conſtituti in Minoribus. Utrum autem quatuor Minores ſint verè Sacramenta. De hoc Authores inter ſe diſputant, quorum alii cum Kôn., Fill, &c. id aſſerunt, quia per illos Ordinatus conſtituitur in certo gradu Eccleſiæ, & ſortitur ſpecialem poteſtatem circa Euchariſtiã: alii cum Vaſq. Negant eſſe Sacramenta, ſed volunt eſſe Sacramentalia, id eſt, ritus quoſdam Sacros imitantes naturam Sacramentorum, non à Chriſto, ſed ab Eccleſia per modum præviæ diſpoſitionis ad Ordines Majores inſtitutos, quibus nulla vis ineſt conferendi gratiam ex opere operato: impetrant tamen homini per preces & vota Eccleſiæ, quæ Deo ſemper grata

Majores Ordines quare nominentur Sacri & cur Majores.

Quatuor Minores ſecundùm quoſdam ſunt Sacramenta, Secundùm alios Sacramentalia.

& accepta eſt , ſpecialia Dei auxilia ſive actuales gratias, quibus homo adjutus à peccatis mundetur, virtutibus augeatur, &c. qui tamen effectus non ſemper certi & infallibiles ſunt, cùm de hoc nullam ſpecialem Dei promiſſionem habeamus. Ratio horum Authorum eſt, quia tres Ordines Majores appellantur ab Eccleſiâ Sacri ad diſtinctionem Ordinum Minorum; adeóque hi ſoli ex ſenſu Eccleſiæ videntur eſſe Sacramenta Et in hanc poſteriorem ſententiam inclinat Leſſ. *in 3 part de ſacris Ordin. Cap.* 14. *Dub* 14. dum ait Eccleſiam procuraturam eſſe, ut initiandi Minoribus præmitterent Confeſſionem Sacramentalem, ſi ipſa cenſeret illa eſſe vera Sacramenta. De Subdiaconatu & Diaconatu juxta majorem Theologorum partem præſertim recentiorum vix dubitari poteſt, quin ſint vera Sacramenta; ita ut Vaſq. *Diſp.* 238. *Cap.* 2. ſcribat ſibi videri,

deri, id non poſſe negari abſque errore in fide, eo quod Trid. *Seſſ.* 25 *Can* 6. definiat eſſe in Eccleſia Hierarchiam conſtantem Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris, ubi nomine Miniſtrorum ſaltem deſignantur Diaconi, & ad mentem Fill. *Tract* 2. *de Ord Cap.* 1. probabiliſſime Subdiaconi ob votum caſtitatis utrique Ordini æqualiter annexũ. Quod autem Diaconi Act. 6. legantur deputati ad Miniſterium Menſæ, id non de profana tantum, ut contendunt hæretici, ſed ſacrâ quoque & Euchariſticâ, intelligi debet, prout multi ſancti Patres hunc locũ exponunt. Vide Fill. l. c. Nam ad ſolum Miniſterium Menſæ profanæ utpote abjectum & humile, neceſſe non erat, ut Apoſtoli orantes manus ipſis imponerent, quod ibidem factum legimus. Sacerdotium eſſe verum Sacramentum fide divinâ tenendum eſt, cum Trid. *Seſſ.* 14 *Can* 4. definiat

De tribus Majoribus dubitari non poteſt, quin ſint Sacramenta.

per Ordinationem Presbyteri communicari Spiritum ſanctum & characterem imprimi. Adde quod in Concil. Trid. *Seſſ* 23. *Cap.* 3. Ordo dicatur verè ac propriè Sacramentum, hoc autem vel intelligendum eſt de omnibus Ordinibus vel ſaltem de Ordine Sacerdotali, utpote omnium præſtãtiſſimo. Qui juxta communiorem & probabiſiorem ſententiam dixerit ſingulos jam nominatos Ordines eſſe vera Sacramenta, non idcircò admittet eſſe in Eccleſia plura quam ſeptem Sacramenta, quia ſinguli jam dicti Ordines conſtituunt unum Sacramentum Ordinis. Nam licèt ſinguli phyſicè inter ſe differant, moraliter tamen & in ratione Sacramenti ſunt unum quid, unitate ſcilicet finis ſeu attributionis. Omnes enim referuntur ad unum eundemque finem, id eſt, Euchariſtiam rite adminiſtrandam, & perreſpectum ad hunc finem omnes ſimul

Singuli Ordines non conſtituunt ſingula Sacramenta, ſed omnes ſimul ſumpti unum Sacramentum Ordinis.

ſimul ſumpti, ſunt unum Sacramentum completum.

# CAPUT IV.

## *Quid ſit prima Tonſura, & qualia Privilegia Clerico tribuat.*

PRima Tonſura non eſt Ordo, quia non confert ſpiritualem poteſtatem, quidquam agendi circa Euchariſtiam in Sacrificio; ſed tantùm transfert hominem à ſtatu ſæculari ad clericalem, non ſecùs ac tonſura & habitus religioſus transfert hominem à ſtatu ſæculari ad religioſum. Nam eo ipſo, dum ab Epiſcopo tondetur, & ſuperpelliceo veluti habitu clericali induitur, fit Clericus, id eſt, fit de ſorte & hæreditate Domini, ad cujus cultum ſpecialiter deputatur, adeóque aptus ad recipiendum beneficium Eccleſiaſticum, & ſuſcipiendos jam dictos Ordines, ſimúlque capax

Prima Tonſura eſt diſpoſitio ad ſacros Ordines, non autem Ordo facit è Laico Clericum, reddit aptum ad beneficium, item capacem Privilegiorum Canonis & Fori.

privilegiorum Clericalium tã Canonis, quàm Fori. Ex quibus patet primam Tonſuram non eſſe niſi meram cæremoniam, per quam quis diſponitur ad Ordines ſuſcipiendos; ſicuti habitus & tonſura Religioſorum diſponit Novitium ad munia & miniſteria ejus Ordinis, cujus habitum ſuſcepit, ſuo tempore obeunda. Porrò per privilegium Canonis, cujus Clericus fit capax, intelligitur ſpecialis gratia & favor ſtatui Clericali conceſſus, quo eximitur ab omni injurioſa actione exteriore, quæ circa ejus perſonam aut res ipſi adhærentes v. g. veſtes, pileum, &c. exerceri poteſt. Nam Canone, qui habetur, 17 *q.* 4. *Si quis ſuadente Diabolo in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit,* &c. Prohibetur omnibus cujuſcunque conditionis, ſexus, & ſtatus ſub pœna excommunicationis, ne quis in Clericum ullam violentiam aut gravi-

Quid Privilegium Canonis.

graviter contumelioſam actionem exerceat. Similiter per privilegium Fori intelligitur gratuitus favor eidem ſtatui conceſſus, quo Clerici eximuntur ab omni juriſdictione & poteſtate ſæculari tam quoad proprias perſonas, quàm bona ad eos pertinentia, ſive illa ſint Eccleſiaſtica, ſive Patrimonialia vel quaſi Patrimonialia, id eſt, quæ hæreditate, arte, alióve temporali titulo acquiſita ſunt: niſi fortè hujuſmodi bona habeant per ſe realem obligationem alicujus tributi vel penſionis ex prævio aliquo pacto feudali, cenſuali, &c. Quamvis fundator, ut notant Authores communiter, non poſſit hujuſmodi obligationem imponere fundo, quem donat, aut ſi ab aliis ſit impoſita, illam redimere debeat. Nam onera merè realia, id eſt, quæ ipſis bonis per ſe ex legitimo titulo ſunt annexa, etiam à Clerico ex juſtitia præſtanda ſunt. Quid Fori.

ſunt. Aliud eſt, ſi bona per accidens ſint obligata Magiſtratui ſæculari v.g quia perſona, quæ illa poſſidet, ſæculari juriſdictioni ſubjecta eſt : jam enim mutatâ conditione & ſtatu perſonæ mutatur quoque ſtatus bonorum, ita ut ſi perſona ob mutationem ſtatûs deſinat eſſe ſubjecta juriſdictioni ſæculari, etiam bona ipſius libera & à poteſtate ſæculari exempta ſint. Laym. *Lib.* 4 *Tract.* 9 *Cap.* 6 *V.* Concil. Lateran. ſub Inno. III. *Cap* 43 Et ſub Leone X. *Seſſ.* 9. *&* 10. Trident. *Seſſ.* 25 *Cap* 20. Quæ Concilia juxta probabilem ſententiam videntur decernere, dictum privilegium fori, eſſe juris divini & Dei ordinatione conſtitutum, nam ſicuti vaſa ſacra, veſtes, &c. miniſterio divino ſemel deputata ſub dominio Chriſti ſunt, adeóque à juriſdictione ſæculari exempta; prout omnes admittunt; ita perſonæ ſacræ & divino cultui peculiariter depu-

Privilegiũ Fori probabiliter eſt Juris divini.

deputatæ unà cum bonis ad ipſas pertinentibus ſub poteſtate Chriſti conſtituuntur: qui ſicut à tributis omninò immunis fuit Matth. 17. Ita & hi, qui ſunt ſors & hæreditas Domini immunes eſſe debent juxta illud Chriſti Matt. 17. Ergò liberi ſunt filii. Interrogante enim Domino à Petro: Reges terræ à quibus accipiunt tributum à filiis ſuis, an ab alienis; illóque reſpondente: ab alienis: ſubintulit Chriſtus ergo liberi ſunt filii. Dixi juxta probabilem, &c. Nam Mol. & alii arbitrantur locis cit. jus divinum accipi latè pro jure Canonico. Verum à quocunque jure eſſe cœperit, non poſſunt huic privilegio derogare Reges aut Principes, quia quod ſemel conceſſum & acceptatum fuit, non poteſt amplius repeti. Adde quod populi in hoc privilegium conſentiunt, à quibus Reges & Principes ſuam poteſtatem acceperunt. Imò nec ipſimet

Alii hoc negant.

Non poſſunt derogare huic Privilegio Reges & Principes.

*Nec eidem ipſi Clerici renuntiare*

ipſimet Clerici huic privilegio renunciare poſſunt; quia idipſis prohibitum eſt. 11 q. 1. *Can inſolita & Can. placuit.*

*Non contrariatur illi ſubſidium charitativum quod urgente manifeſtâ & gravi cauſâ ab Epiſcopis aliiſque Prælatis peti poteſt.*

Non obſtat tamen dicto privilegio ſubſidium charitativum, quod ob ſimilitudinem, quam habet cum tributo, nunc ferè nomine contributionis Eccleſiaſticæ quaſi per abuſum vulgò exprimitur, éſtque temporale quoddam ſubſidium, quod cum charitate moderatum, Epiſcopi & ſimiles Prælati occurrente manifeſtâ ac rationabili cauſâ v. g. publicæ neceſſitatis, aut magnæ utilitatis à Clericis beneficiatis petere poſſunt. V. Cap. Cùm Apoſtolus de cenſibus, ſumptum ex Lateranenſi Concilio; imò ſi qui inviti forent ad illud præſtandum, in his locum habebit, quod rectè aſſerunt AA. ſi deficit charitas, valere debet poteſtas. Requirit autem Trid. *Seſſ 21. Cap 6 de reform.* Ut Clericus in minoribus Ordini-

dinibus conſtitutus, vel primâ Tonſurâ ſolùm inſignitus, ſi privilegio fori gaudere velit, habeat vel beneficium Eccleſiaſticum, vel habitum & tonſuram geſtans alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi deſerviat, vel in ſeminario Clericorum, aut in aliqua ſchola vel univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines verſetur. Clericus tamen beneficiatus non amittit privilegium fori etiamſi habitum & tonſuram non geſtet, niſi ter ab Epiſcopo monitus incorrigibilem ſe præbeat juxta *C. in audientiæ C contingit, 45. de ſent. excom.* Adde quod Trid. loquatur disjunctivè, vel beneficium habeat vel habitum & tonſuram deferat, adeóque alterutrum ſolum exigere videatur: imò Clerici in ſacris non amittunt hoc privilegium niſi illo per ſententiam priventur in pœnam criminis. Laym. *Lib. 1, Tract, 5. Part. 2. Cap. 5.*

Requiſita à Trid. ut Clericus Privilegio Fori gaudeat.

Suarez

Suarez *Lib. 4 defenſ. Cap. 28.* Ex probabili ſententia ſuprà dicta non requiruntur in Clerico, ut gaudeat privilegio Canonis, nam neque Trid. nec ulla alia lex id exigit. Nav. *Lib 5 conſ. 44.* Comit. Suar. contra alios. V. Laym. *Lib. 1. Tract 5. Part. 2. Cap. 5.*

Sed hæc non requiruntur pro Privilegio Canonis.

# CAPVT V.

## *De Materia & Forma Ordinum in genere.*

Aſſignatur materia remota Ordinum.

SInguli Ordines, non ſecùs ac reliqua Sacramenta, conſtant materiâ & formâ, & quidem materiâ duplici, remotâ ſcilicet & proximâ. Remota eſt certum aliquod inſtrumentum, quod ordinandis tradi ſolet in ſignum poteſtatis ſpritualis, ut infra patebit ex aſſignatione materiæ ſingulorum Ordinum, quorum etiam aliqui non unam & ſimplicem materiam; ſed duplicem, quarum utraque

partia-

partialis & inadæquata, unam totalem conſtituit, requirunt: proxima eſt ejuſdem inſtrumenti traditio & acceptatio. Communior autem & probabilior ſententia eſt ad valorem Ordinis requiri tactum aliquem phyſicum materiæ remotæ, ſive requiri ut inſtrumentum, quod ab Epiſcopo traditur ordinando, ipſe per phyſicum & realem contactum acceptet. Ita cum S. Thoma Pont. Pal. & alii plures. Certum tamen eſt non requiri tactum immediatum omnium materiarum ad eſſentiam Sacramenti neceſſariarum, ſed ſufficere quandoque mediatum, ita vinum in calice exiſtens pertinet ad eſſentialem materiam Sacerdotii, nec tamen illud immediatè contingitur. Sicut autem non requiritur contactus immediatus vini, ſic neque ex ſententia probabiliſſima & juxta Dianam moraliter certa requiritur contactus immedia-

tus

Quæ in quibuſdam duplex eſt.

Item proxima.

Requiritur ad valorem Ordinis contactus Phyſicus materiæ remotæ.

Non tamen immediatus, ſed ſufficit quandoque mediatus.

tus hoſtiæ patenæ ſuperpoſitæ, ſed ſufficit mediante patenâ illam tangi. Vid. Dian. *P.* 10. *Tract* 16. *Reſp.* 88. Gobat *Tr.* 8. *Theol Sacram. Caſ.* 4. *num.* 102. *& ſeq.* Ubi id fusè & ſolidè demonſtrat. Et quis aſſerat non tangi claves, calicem, &c. Si quis hoc tangat manu obvolutâ ſtrophiolo vel chirothecâ. Nam ex communi omnium ſenſu & judicio, is dicitur tangi, cujus veſtis, brachium, &c. apprehenditur manu, chirothecâ, aut ſtrophiolo contectâ. Non eſt autem neceſſe, ut inſtrumenta, quæ tanguntur, utrâque manu tangantur, quia nulla lex id exigit. Imò ſufficiet, ſi tangat uno digito, Sanch. *Conſ Lib.* 7. *Cap.* 1. *Dub.* 2. aut ſolo ungue. Card. de Lugo *in Reſp. Moral. Lib* 1. *Dub.* 1. quia uterque eſt verus contactus. Rectius tamen & ſecurius ad vitandum ſcrupulum tanges utrâque manu. Buſenb. *Lib.* 6. *Tract.* 5. *Cap.* 2. *Dub.* 1.

Non eſt neceſſariũ ut materia remota tangatur utraque manu

Præſer-

Præſertim ſi id fieri ſoleat in ea Diœceſi, in qua ordinaris. Nam conſuetudini Diœceſanæ te optimè accommodabis. Fiet autem hic contactus ſecuriſſimè eo tempore, quo forma ab Epiſcopo profertur. Dian. P. 5. *Tract* 1. *Reſ* 40. Quæ phyſica conjunctio vel maximè obſervanda eſt, in materiis ad Presbyteratum aut Epiſcopatum neceſſariis, ob graviſſima incommoda & mala ex horum Ordinum nullitate provenientia. In aliis autem Ordinibus non requiri hanc conjunctionem patet ex eo, quod dum multi ſimul ordinantur ab Epiſcopo in Subdiaconos aut Diaconos, Epiſcopus ſemel tantum juxta præſcriptum ipſius Pontificalis profert formam, ac dein uni poſt alterum præbet tangendas materias neceſſarias. Forma ſunt illa verba, quæ profert Epiſcopus ſive ordinans, dum tradit ordinando materiam remotam.

Contactus materiæ remotæ faciendus eſt eo tempore quo forma pronuntiatur.

Præſertim in collatione Presbyterii aut Epiſcopatûs: non item in aliis Ordinibus, in quibus ſufficit contactum ſequi poſt formæ prolationem.

CAPVT

# CAPVT VI.

*Aſſignatur ſingulis Ordinibus Materia & Forma.*

PRæcedenti cap. diximus de materia & forma Ordinum in genere; in præſenti ſtatuemus materiam & formam propriam cujuſvis Ordinis. Initium facio ab Ordine infimo. Oſtiariatû, materia remota ſunt claves, quas dum porrigit Epiſcopus, profert hanc formam. ſic agite [quando plures ordinantur] quaſi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus includuntur. Ex quo patet Oſtiarii munus eſſe res & depoſita Eccleſiæ fideliter cuſtodire, arcere eos, quibus non licet intereſſe ſacris. Aperire autem & claudere templi januas, pulſare campanas, accidentarium eſt munus Oſtiarii ut docet Tannerus *Diſp 7 quæſt 2. n* 48. Lectoratûs materia remota eſt liber Lectionum ſive Epiſtola-

Materia & forma Oſtiariatus, ex utriſque colligitur munus Oſtiarii.

ſtolarum, qui ab ordinante traditur cum hac forma: Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene adminiſtrârunt ab initio. Lectoris proinde principale munus eſt, legere lectiones veteris & novi Teſtamenti, hujus tamen Miniſterii hodie in Eccleſia non eſt uſus, ſicuti nec eorum, quæ ſuprà Oſtiariis ex officio agenda diximus, cùm neque Lectores ad legendas modò dictas lectiones, neque Oſtiarius ad prædicta munia, ut quotidiana docet experientia, adhibeantur, nam quæ ex his principaliora ſunt, nunc fere Sacerdotibus aut aliis in majore Ordine conſtitutis committuntur. Veniunt etiam nomine libri lectionum libri Prophetarum, item Homiliarum ſive Sermonum, qui legi ſolent è ſanctis Patribus in Eccleſia. Tann. *Tom. 4. Diſp. 7. q. 2. n. 48.*

Nam his libris contentæ ſunt veræ & propriæ lectiones ab Eccleſia legi ſolitæ, ut patet in quotidiano uſu Breviarii. Exorciſtatûs materia remota eſt liber Exorciſmorum, quem ordinans tradit cum hac forma: Accipite & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive catechumenos. Ex qua forma liquet officium exorciſtæ eſſe pellere dæmones è corporibus hominum, ut ſic fiant apti ad debitè aſſiſtendum Sacrificio Miſſæ. Verùm quia hoc Miniſterium magnam prudentiam requirit, hinc nemo huic muneri ſe ingerat ſine conſilio virorum prudentum ac piorum, & imprimis ſine præſcitu ſui ſuperioris, præſertim cum Eccleſia jam abundet Sacerdotibus, qui cum majori prudentia ac diſcretione hoc munus ſuſcepturi videntur. Acolythatus materia remota eſt duplex, nimirum

Materia & forma Exorciſtatûs cum officio ſuo, quod à junioribus cautè exercendum erit.

Materia & forma Acolythatûs cum ſuo miniſterio.

mirum ampullæ vacuæ aut ſaltem una, & candelabrum cum cereo extincto, quod poſterius ordinans porrigit cum hac forma: Accipite ceroferarium [ idem eſt, quod candelabrum cum cereo ] ut ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari in nomine Domini. Quæ omnia ſatis indicant munus Acolythi duplex eſſe: Primum præparare ampullas vini & aquæ ad Sacrificium Miſſæ, eáſque porrigere Subdiacono in Miſſa. Alterum afferre cereos ad idem Sacrificium, eíque miniſtrare. Subdiaconatûs materia remota eſt Calix vacuus cum ſuperpoſita patena, quæ Epiſcopus porrigens utitur hac formâ: Videte, cujus Miniſterium vobis traditur, ideo, vos admoneo, ut ità vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis. Et quidem Calix, qui tangendus traditur debet eſſe conſecratus, prout patet ex uſu Eccleſiæ & authoritate Palai. *P. 4. n. 16.*

Materia & forma Subdiaconatûs cũ muniis ſuis.

& aliorum contra alios. Tann. & Dicaſt. *Tom.* 2. *in* 3 *part. Tr.* 6, *Diſp.* 1. *dub.* 12. cum quibuſdam aliis, contra pleroſque Scholaſticos, arbitrantur ad eſſentiã Subdiaconatus tanquam materiam neceſſariam requiri librum Epiſtolarum, qui ab Epiſcopo tradi ſolet cũ hac forma: Accipe librum Epiſtolarũ, & habe poteſtatem eas legendi in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis quàm defunctis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et quidem cum per traditionem libri Epiſtolarum, ut patet ex forma, ſpecialis conferatur poteſtas non omninò improbabiliter aſſerunt citati AA. librum Epiſtolarum eſſe de eſſentia hujus Ordinis. Ampullæ cũ vino & aqua, item bacile id eſt pelvis cum vaſe & manutergio, quæ juxta pontificale tradi ſolent ab Archidiacono, non ſunt de eſſentia hujus Ordinis, quia aliàs ab Epiſcopo tanquam proprio hujus Ordinis Miniſtro tradi deberent: veſtimenta autem,

quibus

quibus induitur Subdiaconus, ſicut & ea, quæ induit Diaconus, cum per illa nulla denotetur, ſpecialis poteſtas, non ſpectant ad valorem Ordinis. Ex his rectè inferes munus Subdiaconi eſſe calicem & patenam ad uſum Sacrificii præparare, ampullas cum vino & aqua Diacono præbere, aquam ad lavandas manus infundere, Epiſtolam ex Officio & ſolemniter in Miſſa legere. Diaconatûs materia remota ſunt ſecundùm Durandum ſolæ manus Epiſcopales, quæ ordinando imponuntur cum hac forma: Emitte in eum, quæſumus Domine Spiritum S. &c. Secundum Vaſq. & Bonac. ſolus liber Evangeliorum, qui traditur cum hac forma: Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei, tam pro vivis quàm defunctis, in nomine Domini Laym. *lib.* 5. *Tr* 9. *cap.* 5. cum Henriq. Bellarm. & aliis, tam manus Epiſcopales quam librum Evangeliorum

Materia & forma Diaconatûs & ejuſdem munia.

vult eſſe materiam hujus Ordinis : & quidem de libro Evangeliorum non poteſt eſſe dubium, cum in Conc. Flor. expreſſis verbis dicatur, Diaconatum per libri Evangeliorum dationem conferri. Nec obſtat quod liber Evangeliorum nondum fuerit ſcriptus tempore Apoſtolorum, quo tamen tempore creati ſunt Diaconi; nam Chriſtus juxta Bellar. Soto & alios non determinavit in particulari & in individuo materias ſingulorũ Ordinum, ſed reliquit id Apoſtolis & Eccleſiæ ſuæ, ut in particulari determinarent materiam quâ pro diverſitate temporis ſignificaretur munus & officium cujúſque Ordinis. Proinde veroſimile eſt, in primitiva Eccleſia Subdiaconatum & Diaconatum primo quidem collatos fuiſſe cum materia nobis modò ignota, dein ſcriptis Epiſtolis & Evangeliis, cum libro Epiſtolarum & Evangeliorum. Cæterum

Quomodo liber Evangeliorum, poſſit eſſe materia Diaconatus cùm hic nondum ſcriptus fuerit tempore Apoſtolorum; quo tamen Diaconi creati ſunt.

rum munus Diaconi eſt cantare ſolemniter Evangelium in Miſſa, miniſtrare immediatè Sacerdoti in omnibus, quæ pertinent ad Miſſæ Sacrificium, ex comiſſione Epiſcopi aut Parochi prædicare imò accedente juſtâ & gravi causâ ex eorundem commiſſione ſolemniter baptizare, & Euchariſtiam miniſtrare, quæ Diaconorum ampla poteſtas certè non ſufficienter deſignatur per ſolam libri Evangeliorum traditionem, ſed inſuper per manuum Epiſcopalium impoſitionem cum forma deprecatoria, ut in eum deſcendat gratia Spiritus ſancti ad tam nobile miniſterium dignè obeundum, ita, ut hac ſolâ ratione perſuaſus non diſſentiam à ſupra citatis Authoribus, qui hanc manuum impoſitionem ſimul ſtatuunt materiam hujus Ordinis. Sacerdotii ſive Presbyteratûs materia remota duplex eſt. Prima eſt Calix cum vino & patena cum

Materia & forma Sacerdotii: item munia illi annexa.

Hoſtia, quæ dum tradit Epiſcopus, hanc formam pronuntiat: Accipe poteſtatẽ offerendi Sacrificium Deo, Miſſáſque celebrandi, tam pro vivis quàm pro defunctis, in nomine Domini. Altera ſunt manus Epiſcopales, quas dum imponit ſuper caput ordinandi addit hanc formam: Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt. Ex quibus manifeſtum fit, munus Presbyteri eſſe, offerre Sacrificium Miſſæ, abſolvere à peccatis, baptizare, populum Chriſtianum, cujus nomine quotidie Miſſam offert, verbo & exemplo paſcere, Benedictiones aquæ & ſimiles facere, utpore cujus manus non modò ab Epiſcopo unguntur & conſecrantur, ſed quotidie à cõtactu ſacratiſſimi Corporis Chriſti ſanctificãtur, ut non iṁeritò illa Th. Kemp. verba *Lib. 4. Cap* 11. cujuſvis Sacerdoti ſtudioſè inculcem.

O quam

O quam mundæ debent eſſe manus illæ, quàm purum os, quàm ſanctum Corpus, ad quem toties ingreditur Au thor puritatis! ex ore Sacerdotis nihil niſi ſanctum, nihil niſi honeſtum & utile procedere debet verbum, qui tam ſæpè Chriſti accipit Sacramentum. Væ Sacerdoti, qui ſacris manibus ſuis ea libidinosè contrectat, aut ore & animo volvit, quæ inter Sanctos nec nominari debent. O te hominem irato cœlo natum, quisquis amas putidi corporis fallacem ſpeciem, in putredinem & vermes unà tecum brevi reſolvendam! Hoc Corpus, quod in tui perniciem cœcè amas, erit aliquando horror & timor tibi, videbis & fugies ab illo. Heu miſerum te! vermium maſſa, & omnis fœtoris compendium tibi eſt in deliciis, & non amas Crucifixum tuum, omni pulchritudine pulchriorem, omni bonitate meliorem, cui, ut

Sacerdos conſiderans excellentiā & ſanctitatem ſui Miniſterii, ſolicitè curet munditiem mentis & corporis.

loquitur caſtiſſima Agnes, Angeli ſerviunt, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Epiſcopatûs materia remota, ſunt manus Epiſcopales trium Epiſcoporum aut certè unius Epiſcopi aſſiſtentibus, ex diſpenſatione Pontificis, duobus Sacerdotibus (ita enim non ſemel factũ fuiſſe oſtendit Archdekin. *P. 3 Tr. 4. Cap. 7. de Sacram. Ord.*) quæ manuum impoſitio fit cum hac brevi forma à tribus Epiſcopis ſimul prolatâ: accipe Spiritum ſanctum. Alii docent ad eſſentialem materiam pertinere quoque librum Evangeliorum, qui ab eiſdem imponitur ſupra cervices & ſcapulas ordinandi Dicaſt. *Tr. 6. de Ordin. Diſp. 1 n. 126.* Unctio autem quâ conſecratur Epiſcopus (nam alii duo dicuntur aſſiſtentes) ungit caput, & manus ordinandi, nõ ſpectat ad eſſentiam hujus Ordinis, cùm apud Græcos hæc Unctio fieri non ſoleat,

Materia & forma Epiſcopatus cum annexis muneribus

quos

quos veris Epiſcopis caruiſſe dicendum non eſt. Gob. *Tr* 8. *Cap* 5 *n* 131. Atque hæc tam ſolemnis per impoſitionem manuum & libri Evangeliorum facta à tribus Epiſcopis Ordinatio innuit ſpecialem poteſtatem, quam Epiſcopus accipit ſupra reliquos Sacerdotes. Proinde munus ejus eſt, Ordines conferre, inſignire fideles Sacramento Confirmationis, Chriſma conficere, Olea infirmorum & catechumenorum, templa, veſtes & vaſa ad uſum Sacrificii conſecrare: Quamvis horum aliqua ex commiſſione Pontificis aliis quoque Sacerdotibus delegari poſſint.

## CAPVT VII.

### *Quid agendum in dubio de valore Ordinis.*

IN dubio de valore Ordinis quando ſunt rationes probabiles, pro nullitate & validitate

Dubitans utrum validè Ordinē ſuſceperit, quid faciet.

ditate Ordinis v. g. Subdiaconatus, poteſt, non debet reiterari ſub conditione. Dian. P. 5. *Tract* 3. *R.* 47. Nam functiones, quas obit ordinatus, qui eſt inferior Sacerdote, nemini ſunt noxiæ, eſto fuerit commiſſus in ejus Ordinatione defectus ſubſtantialis; debet autem reiterari ſub conditione Presbyteratus & Epiſcopatus ob graviſſima, quæ ex ex eorum nullitate ſequuntur, incommoda. Cavendum tamen eſt à ſcrupulis & inani timore, qui homines magis timoratos angere conſuevit, nam ut rectè docet Bard. *De Conſc. diſc* 6. *Cap.* 11. *Part* 6. § 2. *n.* 3. Similia dubia valde rarò ſolent eſſe rationabilia, atque adeò cum conſilio viri prudentis communiter ſpernenda. Adde quod ſola oblivio vel timor de nullitate Ordinis non ſufficiat ad prudens & rationabile dubium.

Rarò *ejuſ*modi dubia admittēda

CAPVT

# CAPUT VIII.

## *De Abbatum dignitate & poteſtate.*

Abbates non ordinantur, ſed ſolùm ſolemniter benedicuntur & intuitu hujus benedictionis participant Epiſcoporum inſignia, mitram, baculum, &c. & aliqualem Epiſcopalis Ordinis poteſtatem ſortiuntur. Nam Abbates, ſi Sacerdotes fuerint, & ſolemniter benedicti, poſſunt conſecrare altaria & calices, benedicere campanas, veſtes, & vaſa ſacra, populo ſolemniter benedicere, item primam Tonſuram, & Ordines minores conferre ſuis ſubditis regularibus. Laym. *Tr 9. Cap 9. & 13.* Non tamen aliis, ſive regularibus, ſive ſæcularibus ſibi non ſubditis; etiamſi habeant dimiſſorias à ſuis ordinariis: ita enim decrevit ſacra Congregatio Card. Conc. Trid. interpretum. *Die 13. Novembris* 1641.

Abbatatus non eſt Ordo: ſpecialis autem poteſtas, quam habent Abbates conſecrandi altaria, &c. competit ipſis ex ſola commiſſione Pontificia, ex qua etiã poſſunt conferre primam Tonſuram & Ordines minores ſuis ſubditis regularibus, non autem aliis.

Hoc autem decretum an ubique fuerit receptum, & in quibuſdam locis contra illud præſcriptum dubitat Gob. *Tract. 8. Cap. 8. n 382 & 341.* Ex jam dicta Abbatum poteſtate malè inferes, Abbatatum, ut ita loquar ſacris Ordinibus annumerandum eſſe, quia hæc ſpecialis poteſtas non confertur ipſis per ſolemnem Benedictionem, quâ benedicuntur, ſed ſolùm competit ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ, aut generalis Conc. communi jure ipſis facta, qualis etiam poteſtas ſimplici Sacerdoti committi poteſt: adeóque ſolùm ſunt Miniſtri ex commiſſione, ex qua neque ſimplex Sacerdos neque Abbas Presbyterium ulli conferre poteſt: nam oſtendi nequit talem commiſſionem à Sede Apoſtolica unquam factam fuiſſe, imò negat S. Thom. cum aliis multis contra alios, poteſtatem conferendi Ordines ſacros à ſummo Pontifice

ſimplici

ſimplici Sacerdoti committi poſſe, eò quòd Epiſcopus jure divino videatur determinatus miniſter Ordinis ſacri. Si quod fuit aliquando privilegium Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis ab Innoc. VIII. conceſſum id ab aliis in dubium vocatur, & hoc ſaltem tempore deſiit Laym. *Tr 9. de Sacra. Ord. Cap 9.* Nav. &c.

Non poſſunt ex commiſſione Pontificia conferri Ordines majores.

---

# CAPUT IX.

## *De Miniſtro Ordinum.*

ORdinarius Miniſter Ordinum eſt ſolus Epiſcopus, Trid. *Seſſ. 23. Can. 4. & 7* etiam primæ Tonſuræ: ad Epiſcopum enim, tanquam publicum Principem Eccleſiaſticum, pertinet Eccleſiaſticas dignitates diſtribuere & functiones. Alii, qui primam Tonſuram aut Ordines minores conferunt, ſunt Miniſtri per ſolum privilegium & ex commiſſione. Barb. *De off. & Poteſtat. Epiſc. Alleg. 3. n 3.*

Ordinarius Ordinum Miniſter eſt ſolus Epiſcopus.

Et

Et alii contra alios, qui putant Cardinales Presbyteros in ſuis titulis tanquam ordinarios Miniſtros poſſe conferre Ordines minores, item Abbates juxta ea, quæ paulò ante dicta ſunt. Nec obſtat cenſura, hæreſis, degradatio Epiſcopi, quò minùs validè, quamvis non licitè Ordines conferat, quia poteſtas ordinandi, quæ ex Chriſti inſtitutione Epiſcopo competit, eſt immutabilis, & non pendet à bona diſpoſitione Miniſtri vel ordinantis.

Confert illos validè tametſi ſit hæreticus, cenſurâ innodatus, degradatus non tamen licitè.

Quòd autem à ſummis Pontificibus, aliíſque Patriarchis legantur ordinationes talium Epiſcoporum v.g. excommunicati hæretici, &c. olim habitas fuiſſe pro invalidis, id non intelligendum eſt ſimpliciter, tanquam ſi ipſum Sacramentum invalidè fuiſſet collatum, ſed ſecundum quid, id eſt, ſecundum uſum & exercitium ſuſcepti Ordinis, quia nimirum taliter ordinatus in ſuo Ordine, licèt validè

Quo ſenſu talium Epiſcoporum ordinationes olim fuerint habitæ pro invalidis.

collato

collato ex prohibitione Eccleſiæ miniſtrare prohibebatur. Cæterum Epiſcopus, qui Ordines confert, debet eſſe vel proprius ipſius ordinandi, vel certè habere licentiam proprii ſive ordinarii. Unde ut ab alieno & non tuo Epiſcopo ordineris, neceſſe eſt, ut à proprio petas literas dimiſſoriales, quibus ad alium pro collatione Ordinum dimittaris, Trid. *Seſſ 23. Cap. 9. de reform.* Quod hic de ordinatione vel literis dimiſſoriis ad ordinandum dicitur, id quoque intelligi debet de prima Tõſura, Nav. *Conſ. 11. de tempore Ordin. edit. 2.* Dicitur autem proprius Epiſcopus qui talis eſt ratione originis id eſt, in cujus Diœceſi tu ipſe vel tuus pater natus eſt. Non ſufficit autem ad tribuendum titulum originis, ſi mater habens alibi domicilium, caſu & fortuitò te in hoc aut illo oppido peperiſſet, cum illic eſſet itineris aut negotiorum causâ. Barb. *De Off. Ep. alleg.*

Prima Tonſura, & Ordines ſuſcipi debent, vel à proprio Epiſcopo ordinandi vel ab alio cum licentia proprii.

Proprius Epiſcopus dicitur qui tuus eſt vel ratione originis, id eſt in cujus Diœceſi tu vel tuus pater natus eſt.

*alleg* 4 éſtq; cõmunis etſi Hurt. Leand. Eſcob. *Lib.* 23. *Sect* 2. *Problem.* 74. non improbabiliter contrarium doceant. Sicut neque ad dictum titulum acquirendum ſufficit baptiſmus, per quem quis ſpiritualiter regeneratur Jordan. elucubr. *Vol* 1. *Lib* 3 *Tit* 6 *n* 39. contra alios id probabiliter aſſerentes. Excipe niſi fortè ſit infidelis v.g. Judæus vel Turca: tales enim ſortiuntur domicilium originis, ubi ſpiritualiter regenerati ſunt. Jordan. *Ibidem n* 41 Dixi, vel pater tuus natus eſt; nam domicilium originis paternæ tribuit tibi quoque titulum originis, etiamſi tempore nativitatis ſuæ pater in aliam Diœceſin domicilium tranſtuliſſet, ita teſte Dian. P 4 *Tr.* 4. *Reſ.* 148. declaravit Congregatio Cardinalium. Non tribuit autem hunc titulum domicilium matris Barb. *Cit alleg.* 4. *n.* 14. Excipitur tamen filius illegitimus ſeu naturalis: talis enim

enim quoad originem ſequitur ventrem, id eſt matrem, quia illegitimorum mater & conſequenter hujus patria ſolet eſſe notior, quam patris Barb. Eſcob. Pal. *Tr* 27. *P.* 5. ſimiliter domicilium matris habetur pro tuo, quando paternũ ignoratur Barb. *l.c n.* 16. vel qui talis eſt, hoc eſt proprius Epiſcopus ratione domicilii, id eſt in cujus Diœceſi domicilium fixiſti animo perpetuò manendi; unde non ſufficit ad tribuendum titulũ domicilii, ſi quis loco quodam diu v. g. ultra decennium ſtudiorum causâ habitaſſet, animo revertendi in patriam, cenſetur autem quis animum habere manendi perpetuò, qui cogitat illic tamdiu manere donec aliud quid ſibi fortè commodiùs aut cõducibiliùs eum inde avocet. Vel denique, qui talis eſt ratione beneficii, id eſt in cujus Diœceſi aliquis beneficium eccleſiaſticũ poſſidet, tametſi alibi habitet, & bene-

Vel ratione domicilii, in cujus nimirum Diœceſi domicilium fixiſti animo perpetuò manendi,

Vel ratione beneficii, in cujus Diœceſi beneficium obtines.

beneficium non exigat illum Ordinem, quem petit beneficiatus Barb. *de off. Ep alleg.* 4 *n* 85. Quodſi igitur in una Diœceſi es natus, in altera habes domicilium, in tertia beneficium, à quovis trium iſtorum Epiſcoporum potes ordines vel dimiſſorias accipere Laym. *Lib.* 5. *Tr.* 9 *Cap* 9 Dian. & alii comm. imò ſecundum Averſ. & alios quoſdam contra Barb. poteris ab uno eorum unum Ordinem ſuſcipere, & alterum ab alio.

A quolibet horum potes accipere Ordines vel literas dimiſſorias, imò ab uno illorum unum, ab altero alterum Ordinem.

# CAPVT X.

## *De Effectu Sacramenti Ordinis.*

Aſſignatur effectus Sacramenti Ordinis.

EFfectus Sacramenti Ordinis ſunt ſequentes: *1.* Conferre gratiam habitualem ex opere operato. 2. Tribuere ſpecialem poteſtatem & jus agendi aliquid circa S. Euchariſtiam in Miſſæ Sacrificio, ut ſupra oſtenſum. 3. Imprimere animæ

animæ characterem ſpiritualem in ſignum collatæ poteſtatis. 4. Conferre ſpecialia auxilia vel potius jus ad hujuſmodi auxilia, quibus ordinatus juvetur, excitetur, ad ſua munia ſpiritualia rite & decenter obeunda. Porro character ſacramentalis, cujus hic fit mentio, eſt ſpiritualis quædam qualitas animam exornans & perficiens, indelebiliter eidem impreſſa, in perpetuum & ſemper duraturum ſignum collatæ ſpiritualis poteſtatis. Vide à me dicta in compend. Doctrinæ Moralis, Tit. de Sacram. in genere, n. 6. Hæc autem qualitas in illis Ordinibus, in quibus duplex partialis adhibetur materia & forma, adeóque duplex confertur poteſtas v. g. in Sacerdotio, poteſtas conſecrandi & abſolvendi, dicitur à Theologis extendi & perfici. De modo autem hujus extenſionis inter ipſos controvertitur, probabilius videtur eſſe,

Explicatur quid ſit Character.

chara-

Et quomodo dicatur extendi in illis Ordinibus, in quibus duplex partialis adhibetur materia & forma.

characterem extendi per partialem aliquam qualitatem priori de novo additam, adeóque in illis Ordinibus, in quibus duplex partialis adhibetur materia & forma, duplicem quoque in earum applicatione conferri partialem characterem. Nam character confertur integrè quando confertur integrum Sacramentum, hoc autem fit integrum per utriúſque materiæ & formæ applicationem; ac proinde applicatâ partiali materiâ & formâ ſolum conferetur pars characteris, ſive partialis character. Qui negant quatuor minores eſſe Sacramenta, conſequenter negabunt cauſari ab illis jam dictos effectus Sacramento Ordinis proprios. Vide ſupra dicta n. 1. ferè ſub fin.

* * *
* *
*

PARS

# PARS II.

## *De diſpoſitione ordinandi ad Ordines validè & licitè ſuſcipiendos.*

## CAPUT I.

### *De requiſitis ad Ordines validè & licitè ſuſcipiendos.*

Ut validè Ordines ſuſcipiātur, requiritur ſexus maſculinus, cui non obſtat, olim in Eccleſia fuiſſe Diaconiſſas.

UT Ordo validè ſuſcipiatur, tria requiruntur; Primò ſexus maſculinus, nam fœminæ jure divino excluduntur à Sacramento Ordinis, ſi enim turpe eſt mulierem loqui in Eccleſia juxta Apoſt. 1. *Cor.* 14 Quantò magis turpe erit mulierem in Eccleſia ſacrificare aut ſacrificanti miniſtrare? Nec obſtat olim in Eccleſia fuiſſe Diaconiſſas, hæ enim ſic dictæ ſunt, quòd Sacerdotibus miniſtrarent, dum mulieres baptizarentur, itémque

que januas cuſtodirent, per quas mulieribus ingreſſus in templum patebat, ídque decentiæ & honeſtatis gratiâ. Vid. Laym. *Lib. 5, Tract. 9 de Sacram. Ord. Cap 6.* Item Baptiſmus, qui eſt janua & fundamentum Sacramentorum, ſine quo non ſolùm illicitè, ſed etiam invalidè Ordo ſuſcipitur, intentio denique ſeu voluntas ſuſcipiendi Sacramentum, adultus enim rationis uſu præditus, qui non intendit aut vult ſuſcipere Sacramentum, cenſetur virtualiter contradicere. Invito autem & nolenti Sacramentum, ejúſque gratia obtrudi non debet. Et hæc quidem ad valorem Sacramenti neceſſariò requiſita ſunt. Ad Ordines autem licitè ſuſcipiendos præter Confirmationem à Trid. *Seſſ. 23 Cap. 4. de Reform.* ita requiſitam, ut ſecundum quoſdam peccet mortaliter, qui etiam primam Tonſuram ſuſcipit non confirmatus, ſecundum alios probabi-

Item Baptiſmus.
Intẽtio ſeu voluntas ſuſcipiendi Sacramentum.

Ut licitè Ordines ſuſcipiãtur, Confirmatio.

babiliter ſolùm venialiter, quia verba Trid. non videntur indicare gravem obligationem. Adhæc præter animũ clericandi, id eſt voluntatem in ſtatu clericali permanendi, & in eodem Deo ſerviendi. Nam qui ſine hujuſmodi animo primam Tonſuram vel Ordines minores ſuſcipit, niſi juſta cauſa excuſet, ex probabili ſententia, peccabit venialiter, quia licèt talis ad clericalem Ordinem non admitteretur, ſi ejuſmodi animus Epiſcopo cognitus foret, fraus tamen quæ committitur non eſt gravis aut pernitioſa. Aliud eſt de ingrediente Ordinem religioſum animo non perſeverandi, quia talis in re gravi decipit religionem, à qua alimenta accipit, & cujus inſtitutum ac ſecreta congnoſcit. Adde quod nulla iis incumbat obligatio promiſſionis aut præcepti, quo obligentur ad ſuperiores Ordines aſcendere. Dixi niſi

Item animus clericandi: ſed neutrum ſub gravi obligatione.

juſta cauſa excuſet, quia ſi hæc adſit, & nulla fraus aut dolus interveniat, immunis erit ab omni culpa. Et hac ratione non peccabit Rector Academiæ, ſi clericalem Tonſuram & Minores eo fine ſolùm ſuſcipiat, ut jurisdictionem in ſtudioſos etiam clericos exercere poſſit, etſi de conjugio ſuo tempore ineundo cogitet. Imò non videtur peccare mortaliter, qui primam Tonſuram vel Minores accipit non animo clericandi, ſed ſolùm ut declinet juriſdictionem fori ſæcularis, quia, ut dictum, non decipit in re gravi Laym. *l. c. Cap. 7.* Nav. Sanch. &c. Qui à ſtatu clericali ſine cauſa decedit, venialis inconſtantiæ reus eſſe cenſebitur: ſicuti ſi Novitiꝰ ab Ordine religioſo, cujus habitum ſuſcepit, ſine cauſa diſcedit. Ac denique præter ſtatum gratiæ, cum enim Ordo ſit Sacramentum vivorum, in ſtatu gratiæ ſuſcipi debet. Quia tamen prima Tonſura non eſt

*Imò citrà omnem culpam animus clericandi abeſſe poteſt, ſi juſta cauſa excuſet.*

*Status gratiæ, qui per ſe non requiritur pro prima Tonſura,*

Sacra-

Sacramentum, ſicut etiam probabile eſſe diximus de quatuor Minoribus, hinc non peccabit, qui eos ſuſcipit non præmiſſo ullo dolore de peccatis ſuis, niſi fortè ob faciendam eodẽ tempore cõmunionem confeſſio facienda foret. Quintanad. Sing. *Tr 6 Sing. 16 num.1.* Inſuper requiruntur ſequentia, diſtinctis capitibus explicanda.

nec probabiliter pro quatuor Minoribus.

## CAPVT II.

### *De certa ætate ad Ordines requiſita.*

PRimum, unde paſſim Theologi ordiri ſolent, eſt certa ætas, ſive anni ætatis certi. Nam eſto infanti validè conferri poſſint omnes Ordines etiam Epiſcopatus. Vid. Bonac. *De Sacram Diſp 3. P 5.* Pal.& alios, quia ad Sacramentum Ordinis validè ſuſcipiendum non requiritur major uſus rationis, quàm ad Baptiſmum

Requirũtur certi ætatis anni. Poſſunt infanti validè conferri omnes Ordines; at nemini licitè ante certos ætatis annos ab Eccleſia definitos.

ptiſmum: ſicut autem ad hujus valorem in parvulis ſufficit intentio Chriſti & Eccleſiæ, cum ipſi propriæ intentionis nondum ſint capaces, ita ad valorem Ordinis hæc ipſa intentio quoque ſufficiet. Ridiculum eſſe dices puerum in cunis cernere Sacerdotem aut Epiſcopum; rectè id quidem, hinc tamen malè inferes hoc fieri non poſſe! optiméque concludes, Eccleſiam prudenter ſtatuiſſe pro ſingulis Ordinibus certos ætatis annos, ante quos Ordines licitè ſuſcipi non poſſunt: Et quidem pro prima Tonſura ac tribus Minoribus ſtatutum eſt ſeptennium completum, pro Acolythatu duodecimus annus cõpletus, pro Subdiaconatu annus vigeſimus ſecundus, pro Diaconatu vigeſimus tertius, pro Sacerdotio vigeſimꝰ quintus, qui ultimi pro tribus Majoribus requiſiti non neceſſariò ſunt completi; ſed ſufficit ſi ſint inchoati, idq; non modo

Pro prima Tonſura & tribus Minoribus ſeptenniũ completũ pro Acolythatu annus 12 completus; pro Subdiaconatu annus 22., pro Diaconatu 23., pro Sacerdotio

per

per unum diem, ſed etiam unam horam, aut quodvis breve momentum, quia jam veriſſimè dicetur, non eſſe ordinatum ante annum ætatis vigeſimum quintum utpote jam uno momento inchoatũ. V. Gob. *Tract. 8. Caſ. 13. n 516.* Pro Epiſcopatu trigeſimus completus. In his autem jam dictis ætatis annis Epiſcopus diſpenſare nequit, tametſi non niſi duo vel tres dies ad ætatem præſcriptam deſint. Gob. *l. c. n. 531* imò ſi dies vel hora deficiat Pont. *lib. 7 cap 65. n* 1, quia in præceptis, quæ urgent obſervationem integræ materiæ præceptæ, non valet illa regula: quod parum diſtat, nihil diſtare videtur; ſicuti hora prima noctis comedens carnes, tametſi hæc hora parũ diſtet à die præcedenti, quâ licebat veſci carnibus, non ideo excuſabitur à peccato. Probabile tamen cenſet Dian. ex Sanch. *in Opuſc tom 2. lib. 7. cap. 12 dub. 335.* ſi ultimus ætatis

25. non completi, ſed inchoati; Et ſufficit unâ horâ inchoaſſe. Nec poteſt Epiſcopus diſpenſare in ætate, etiamſi dies vel hora deficeret.

Contrariū tamen non videtur improbabile, ſi ultimo ætatis die jam inchoato aliquot horæ deſiderentur.

dies inchoatus ſit, tametſi ad illius complementum aliquot adhuc horæ deſiderentur, talē poſſe ordinari, quia in favorabilibus dies inchoatus habetur pro completo. L. qua ætate §. de teſt. quod ſi quis ex mera ignorantia ante legitimam ætatem ordinatus fuiſſet, huic non licebit miniſtrare in Ordine jam ſuſcepto, niſi poſt adeptam legitimam ætatem: Quia prohibitio ſuſcipiendi Ordines ante præſcripto ætatis annos facta eſt propter executionem munerū ab illo Ordine requiſitorum; ergo executio tamdiu eſt prohibita, quamdiu deeſt ætas. Adde quod ignorantia quidem excuſet à peccato, non tamen tribuit ullum jus errore jam comperto. V. Eſcob. *Lib. 23. Theol. Mor. Probl. 59.* Utrum autem in ætate ordinandorū ratio haberi poſſit diei biſſextilis, qui quarto quovis anno recurrit, inter auctores dubiū eſt. Pelliz. in Manuali Regul. *Tr. 8,*

Ordinatus per ignorantiam ante legitimam ætatē non poteſt exercere Ordinem jam ſuſceptum niſi poſt adeptā legitimam ætatem.

Dies biſſextilis in ætate ordinandorum probabiliter cōputari poteſt; probabilius non poteſt.

*Tr. 8 c. 7 n. 170.* non improbabiliter cenſet hunc diem poſſe computari, quando computatur ætas pro Ordinibus; præſertim cum hæc doctrina non ab uno ſed pluribus viris doctis approbata ſit. Contraria tamen ſententia multò eſſe probabilior propter auctoritatem majorem & communem computandi conſuetudinem. Omnes enim tam docti quàm indocti, dum dicunt ſe eſſe annorum viginti, triginta, nullam prorſus habent cogitationem de die biſſextili. Adde quod hic dies intercalaris nullo modo ſit ſupernumerarius; ſed omnino neceſſarius ad complendum quadriennium. Idcirco enim adjicitur, ut ſex horæ, quæ & ſibi & tribus præcedentibus annis deerant ad faciendum numerum dierum 365. hac ratione reſarciantur.

* * *
* *

# CAPUT III.

## *De Scientia ad Ordines requiſita.*

Certa ſcientia neceſſaria eſt ad quemvis Ordinem, non requiritur, ut hæc ſit ſumma, ſed ſufficit mediocris.

Requiſita ad primam Tonſuram, & quatuor Minores.

ALterum eſt certa ſcientia ad unumquemque Ordinem neceſſaria. Nam Trid. *Seſſ 24. c. 4.* pro prima Tonſura requirit, ut fidei rudimenta edocti ſciant legere & ſcribere. Sufficit autem legere quodcunque idioma, quamvis neſciant latinè, quia Trid. eos ſolum excludit, qui omnino legere neſciunt. Sanch. *in opuſc. tom. 2. l. 7 c. 1. dub. 46.* nec requiritur, ut ſciant perfectè ſcribere, ſed ſatis erit, ſi noverint literas aliquo modo formare. Dian. P 3 T 14 *Reſ.* 21. adde quod ſcientia quæ à Trident. ab ordinandis exigitur, non debeat eſſe ſumma in illo genere, ſed ſufficiat mediocris. Nam quod Gloſſ. in can. Illiteratos, aſſerit ad minores Ordines ſufficere mediocrem intelligentiam linguæ latinæ; idipſum

idipſum cum proportione de prima Tonſura & reliquis Ordinibus dici poteſt. Gob. *L 8 Caſ.* 10. *n.* 375. Proinde cum Trid. *Seſſ 23 c.* 11 pro Minoribus ſtatuat, ut hos ſuſcipere volentes ſaltem linguam latinam intelligant, ſufficit, ſi ordinandi aliquam brevem & facilem ſententiam è latino in patrium ſermonem vertere noverint; is enim dicitur linguam latinam intelligere, qui animo percipit ſenſum verbis latinis indicatum. Imò quia Trid. cit cap. inſinuat ſe contentum fore, ſi Minoriſtæ aſcendant de gradu in gradum, probabiliter pro tribus prioribus Ordinibus non videtur exigi dicta intelligentia, ſed pro ſolo quarto ſive Acolythatu. Fiet enim aſcenſus de gradu in gradum, ſi Oſtiarius & Lector ſciat legere & ſcribere latinè, Exorciſta declinare nomina & conjugare verba, Acolythus brevem aliquam & facilem ſententiam patrio ſer-

mone explicare v. g. hanc: Beatus homo, qui timet Dominum. Quod ſi nequeat Miniſta, vel ſaltem ut modo dictum eſt, Acolythus facillimas ſententias latinas, dicto modo interpretari, ſit autem bonæ indolis ac docilis, in quo ſpes appareat dictam ſcientiã facilè & intra breve tempus acquirendi, poterit Epiſcopus legem Tridentini in ejus favorem interpretari. Dian. *p. 3. Reſ 86.* & cum eo alii. Similiter cum Trid. cit. *Seſſ c 13* pro Subdiaconatu & Diaconatu requirat, ut ſint literis, & iis, quæ ad Ordinem exercendum ſpectant, inſtructi, id eſt, ut noverint linguam latinam, & habeant cognitionem eorum, quæ ad dictos Ordines eorumque exercitium ſpectant, ſufficit ſi communes libros latinos intelligãt, & ex latino in patriũ ſermonem pleraque vertere poſſint. Qui habet ſocium aut alium, à quo diſcere poteſt rubricas, quas latinè nequit intel-

Ad Subdiaconatum & Diaconatum.

intelligere, ſi uſu & exercitio didicit ea, quæ neceſſaria ſunt ad decentem functionem Officiorum his Ordinibus annexorum, poterit admitti ad illos Ordines, quia eo fine exigitur intelligentia linguæ latinæ, ut decenter exerceantur Miniſteria ſacra. V. Quintannad. *L. c. ſing 9. & 10.* Deniq; cum Trident. pro Sacerdotio cap. *14.* requirat tantam ſcientiam, ut populum docere poſſit ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, & Sacramenta adminiſtrare valeat, ſufficiet presbyterando, ſi quæ legit in Miſſa, mediocriter intelligat, habeátque mediocrem ſcientiam, ut noverit rite ſervare ea, quæ ſpectant ad Sacrificium Miſſæ debitè peragendum. Sanch. *Conſ. Mor L 2. c. 1. dub 45.* imò plurium eſt ſententia ad Presbyterium admitti poſſe eos, qui in ſacrorum Ordinum & inprimis Sacerdotii ipſius functionibus bene exercitati omnia rite legunt & cantant,

Ad Sacerdotium.

tametſi nondum plenè intelligant ea, quæ in Miſſa leguntur. Emm. Rodriq. *tom* 1. *q.* 24. *art.* 7. adde quod juxta Barboſ. de off. & pot. Ep. *alleg* 46. *n.* 13. & alios, Epiſcopus poſſit diſpenſare cum eo, qui caret ſcientiâ requiſitâ à Trident. quando ordinandus verſatur in ſtudiis, eſtque ſpes fore, ut neceſſariam ſcientiam acquirat, & adeſt ſpecialis cauſa ordinandi talem. Quod autem Trid. exigat à Sacerdotibus, ut ſciant neceſſaria ad Sacramentorũ adminiſtrationem, contra hoc contrarius uſus invaluit. Plurimi namque de facto ſunt Sacerdotes, qui prorſus ignorant formam extremæ Unctionis & Abſolutionis, nec ad ea addiſcenda ſe obligatos eſſe cenſent ob incertum auxilium, quod horũ ignari, fortè proximo in ſpirituali neceſſitate conſtituto, vix unquã toto vitæ tempore laturi ſunt. V. Gob. *L.* 5. *Caſ* 10. *n.* 382. Et quidem ut jam dicta

ſcien-

ſcientia ad Ordines requiſita debitè exploretur, rectè monent Authores, ab Epiſcopis inſtituendum eſſe examen diligens ac ſedulum, non verò perfunctorium, ut hæc diligentia tollat ab Eccleſia tenebras ignorantiæ, malorum omnium parentis. Ob hanc ipſā cauſam valde rogandi ſunt omnes Eccleſiæ Miniſtri, & imprimis Sacerdotes, ut vitæ integritati ſimul jungant inſignem rerum divinarum ſcientiam. Hanc ab ipſis tanquam filiis avidè exſpectat mater Eccleſia: ſuo quoq; jure exigunt tot piorum eleemoſynæ eo fine datæ, nō ut otio & luxui, ſed divinæ gloriæ hominúmque ſaluti promovendæ deſervirent. Idcirco Spiritus S. apparuit Chriſti Apoſtolis in linguis igneis, ut oſtenderet Eccleſiæ Miniſtros oportere eos eſſe, qui ignea ac divina loquerentur, & qui potentes eſſent exhortari in ſana doctrina & eos, qui contradicūt, arguere. Pro-

Inſtituendū in bonum totius Eccleſiæ ſedulum & diligens examen, quo exploretur ſcientia ordinandorū.

Eccleſiæ Miniſtri & inprimis Sacerdotes jungant vitæ probitati inſignem doctrinam & ſcientiā.

fectò nihil ita peſſumdat Eccleſiam Dei, ac Miniſtrorum ipſius & maximè Sacerdotum imperitia, quæ una, utpote cunctorum errorum mater, in Dei Eccleſiam magna multorum ſcandala, ingentia detrimenta, & irreparabilem tot millium animarum cladem invexit. Attende igitur, quiſquis ad Miniſterium Eccleſiæ vocatus es, attende inquam Lectioni, Exhortationi & Doctrinæ.

## CAPVT IV.

### *De Titulo ſuſtentationis requiſito.*

Titulus ſuſtentationis neceſſarius eſt volenti ſuſcipere Ordinem ſacrum ſive Mojorem.

TErtio loco requiritur non quidem pro minoribus, ſed majoribus Ordinibus Titulus ſuſtentationis, hoc eſt, ejuſmodi Titulus, vi cujus ordinando competit congrua ſuſtentatio. Non enim decet eos, ut loquitur Trid. *Seſſ.* 21 *c.* 2. qui divino Miniſterio adſcripti ſunt, cum Ordinis dedeco-

re mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere. Hujuſmodi autem Titulus reſpectu Clerici ſæcularis eſt, vel beneficium Eccleſiaſticum, vel Patrimonium, aut penſio Eccleſiaſtica ad congruam ſuſtentationem ſufficiens; reſpectu verò Clerici regularis votum paupertatis in Religione approbata ſolemniter emiſſum, quia talem Religio alere tenetur, eique de congrua ſuſtentatione providere. Hos autem regulares Clericos pro ratione ſui inſtituti, amore illius, qui cum eſſet dives, propter nos egenus factus eſt, voluntariè eleëmoſynam petere nō cedit in dedecus, ſed potius gloriam ſacri Ordinis, cùm ſe faciant ſimiles illi, cujus Miniſterium in Eccleſia ſuſceperunt. Porro nomine Regulariū nullo modo intelliguntur Novitii; ſed ſoli verè religioſi in Religione approbata ſolemniter profeſſi. Excipe Religioſos Societatis Jeſu, qui poſt emiſſa tria ſubſtan-

Aſſignātur Tituli reſpectu Sæcularium & Regulariū.

ſtantialia vota Religionis ante factam profeſſionem ex privilegio Apoſtolico ad omnes ſacros Ordines promoveri poſſunt. V. Vaſq. *Tom 3 in 3. Part. Diſp 246. C 6.* & alios. Extra jam dictos Titulos juxta mentem Conc. Trid. & declarationem Cardinalium ejuſdem interpretum nullus ſæcularis promoveri poteſt ad ſacros Ordines, quamvis ſit aliàs idoneus, ut ſcientiâ, aut induſtriâ, vel labore honeſto lucretur, quantum ſufficit ad congruã ſuſtentationem v. g. quia eſt muſicus, magiſter grammaticæ, pictor, vel alterius licitæ profeſſionis. Putat tamen Henriq. *Lib.* 10. *Cap* 19. Avila & alii inſignem aliquem Theol. Doctorem, in raro aliquo caſu admitti poſſe ad ſacros Ordines ſine ordinario Titulo: Eò quòd tali defutura non ſit cathedra, præbenda, aut beneficium, unde honeſtè vivat, adeoque morali certitudine, jam tum obtineat, quod Tridentinum requi-

Extra dictos Titulos Sæcularis non poteſt promoveri ad ſacros Ordines; etſi ſuâ induſtriâ & labore honeſto lucrari poſſit, quantum ſufficit ad congruam ſuſtentationem.

requirit. Cæterùm an Titulus ſit ſufficiens ad congruam ſuſtentationem æſtimari debet ex loci ſeu Diœceſis qualitate & conſuetudine. Quod enim in una Diœceſi non ſufficit ad alendum competenter Eccleſiæ Miniſtrum, id in alia ob frugum fructuúmque ubertatem aut pretii tenuitatem omnino ſatis eſt. Cui patrimonium ſolum non ſufficit, ſortiatur autem tenue, & ad congruam ſuſtentationẽ ſeorſim inſufficiens beneficium, ita ut ex utroque ſimul ſumpto illi competat honeſta ſuſtentatio, ad ſacros Ordines admitti poteſt. Nomine autem Patrimonii intelliguntur ea bona, quæ Clerico obveniunt ex hæreditate patris aut aliunde; hæc verò eſſe debent bona immobilia, nam mobilia uſu, & lapſu temporis facilè conſumuntur, certa, id eſt, indiſputabilia & actu poſſeſſa, ut ab Epiſcopo perſpici poſſit, an ſint ſufficientia ad congruam ſuſten-

Sufficientia Tituli unde æſtimari debeat.

Patrimoniũ junctum tenui beneficio, ſi ex utroque habeatur congrua ſuſtentatio, ſufficit ad Titulum.

Quæ & qualia bona nomine Patrimonii intelligantur, & utrũ hæc licitè ac validè alienari extingui, &c. poſſint.

ſuſtentationem. Neque juxta Trid. l. c. hæc bona ſine licentia Epiſcopi alienari, extingui, aut remitti ullatenus poſſunt, priusquam beneficium aut aliud quid acquiratur ad ſuſtentationem ſufficiens; ita ut quæcunque alienatio facta per venditionem, donationem, permutationem, aut voluntariam renuntiationem, &c. non ſolùm ſit illicita, ſed etiam invalida. Eſt communis DD. cum Pala. *Tr. 27. P. 11. n. 11.* contra Suar. *De Cenſur. Diſp. 31. Sect. 1.* ubi negat prædictam alienationem fore invalidam. Verùm id rectè colligitur ex particula: nullatenus, quæ actum reddit nullum *Gloſſ. in Clem. I. Verb. Nullatenus, de ſequeſtr. poſſeſſ.*

Titulus menſæ v. g. Principis aut alterius viri nobilis an ſit ſufficiens ad ſacros Ordines.

Videtur quidem Tridentino contrariari ordinatio, quæ fit Titulo menſæ, vel Principis, vel alterius viri nobilis, vi cujus Princeps aut alius promittit ſe ordinando omnia neceſſaria ſubminiſtraturum, uſque dum ipſi de beneficio,

aut

aut aliunde de cõgrua ſuſtẽtatione rite provideatur. Ratio eſt, quia Trid. expreſsè vult, ut Patrimonium actu & verè poſſideatur. Quia tamen ut docet Barboſ. *In Trid. Seſſ. 21. c. 2. de reform.* Et plures alii, Patrimonii qualitas definienda eſt ex loci conſuetudine & Epiſcopi judicio, ſubſiſtet hic Titulus menſæ iis in locis, in quibus uſu receptus eſt; præſertim cùm per hujuſmodi fidejuſſionem factam à Principe aut alio viro nobili, &c. ceſſet timor mendicationis aut ſordidi quæſtus; atque ita ſatisfiat menti & diſpoſitioni Concil. Trid. V. Dian. *Part. 5. Tract. 10 Reſ. 48.* Caveant autem Sacerdotes, aliíque Eccleſiæ Miniſtri, ne ob Titulum menſæ ſibi gratioſè datum cũ notabili ſui Ordinis deſpectu faciant ſe mancipia virorum nobilium, ſéque abjiciant, ad ſervitia ſacro Ordini, quem ſuſceperunt, planè indigna. Habendi enim ſunt ab illis, inter

Propter menſam à viro nobili conceſſam Sacerdotes & alii Miniſtri Eccleſiæ non fiant mancipia hominum ſæcularium, nec

reddant contemptibile Miniſterium ſuum. Sed vitæ morumque integritate & modeſtiâ omnibus ſint venerabiles.

ter quos vivunt juxta Apoſt. 1. *Cor.* 4. ut Miniſtri Chriſti & Diſpenſatores Myſteriorum Dei, non verò à Sæcularibus tractandi ut ſervi, aut famuli, ne vileſcat & vituperetur Miniſterium eorum, qui primam & nobiliſſimam membrorum partem conſtituunt: ut loquitur D. Greg. *Lib.* 14. *Mor. c.* 16. Quin potius in omni converſatione eam vivendi & agendi normam ſectentur, ut probitate vitæ, morúmque modeſtiâ omnium ſibi amorem & venerationem concilient. Miniſter Chriſti, vitam illius, moréſque in ſe exprimat neceſſe eſt, qui enim dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit & ipſe ambulare. Joann. 1. *c.* 2. Debet nimirum ſicut ille loqui, tacere, vivere, & agere univerſa. Notent hoc obſecro ii Sacerdotes, qui ad ſæcularium convivia non rarò adhibentur, ut cum inſigni ſacri Ordinis deſpectu, facetiis ſuis & nugis epulas ipſorum

rum condiant. Qui offert Epiſcopo Titulum Patrimonii aſſerens eum ſufficere ad ſui ſuſtentationem, cum non ſufficiat, juxta Nav. *De temp. Ord. Conſ.* 33. peccat graviter, quia apertè agit contra mentem Trid. in re gravi. Nomine beneficii. quod in Titulum à Trid conceditur, intelligi debet beneficium Eccleſiaſticum propriè dictum, quia non oportet recedere à proprietate verborũ ſine manifeſta cauſa. Vide alibi dicenda de beneficiis. Proinde Vicaria temporalis aut Capellania ad nutum amovibilis, nec commoditas quotidie ferè ſacrum legendi pro ſtipendio, unde haberi poteſt congrua ſuſtentatio, non ſufficiunt pro Titulo beneficii, quia non ſunt propriè beneficia. V. Gob *Tr* 8. *Caſ.* 16. *n.* 634. Porro debet hujuſmodi beneficium præbere ſufficientem ſuſtentationem ad eum modũ, quo de Patrimonio paulò ante dictum eſt. Nec ſufficit te electum

Offerens Epiſcopo titulum Patrimonii, quem ſcit inſufficientem eſſe, tanquam ſufficientem, peccat graviter.

Quid nomine beneficii intelligatur, & quale illud eſſe debeat, ut ad titulum ſufficiat.

ctum aut præſentatum ad aliquod beneficium, ſed juxta Trid. l. c. requiritur, ut legitimè & pacificè illud poſſideas: nam poſſeſſio, quæ controvertitur, vel eſt illegitima, à Trid. omnino reprobatur.

Non poteſt beneficiatus validè aut licitè reſignare beneficiũ ad cujus titulum ordinatus eſt, niſi adſint conditiones à Tridænt. requiſitæ.

Non poterit autem beneficiatus ex mente ejuſdem Trid. reſignare ſuum beneficium, ad cujus Titulum ordinatus eſt, niſi facta mentione, quod ad illius Titulum promotus ſit, & niſi conſtet, quod aliunde vivere commodè poſſit, alioquin facta reſignatio nulla erit, ita ut unâ deficiente ex jam dictis conditionibus, reſignatio non modo illicita, ſed & invalida ſit. Ex quibus Trid. verbis Pal. *Tract. 27. P. 11. num. 10.* cum aliis rectè infert permutationẽ hujuſmodi beneficii, etiamſi fiat in æquivalens, non fore validam, niſi Epiſcopo, ex cujus licentia permutaſti, ſignifices, hoc tuum beneficium in Titulum tibi datum fuiſſe. Imò docet idem contra Nav. & Hen-

& Henriq. reſignationem fore nullam, ſi non memineris coram Epiſcopo, quod ad illius Titulum promotus fueris, tametſi in ea reſignatione, tibi reſerves portionem congruæ ſuſtentationi parem. Tridentinum enim ſtatuit omnem alienationem aliter factam fore nullam.

---

# CAPVT V.

## *De ſervanda gradatione inter Ordines.*

QUartum, quod requiritur eſt gradatio, ſive ordinata unius Ordinis poſt aliū ſuſceptio, ita ut prius inferior Ordo ſuſcipi debeat, deinde is qui immediatè eſt ſuperior, ſicuti aſcendere ſolemus à gradu inferiore ad gradum immediatè ſuperiorem. Qui trāſiliendo Ordinem inferiorem v. g. Subdiaconatum, prius ſuſciperet ſuperiorem, puta Diaconatum, dicitur ordinatus per ſaltum, communémque aſcen-

Servari debet gradatio, ſive ordinata unius Ordinis poſt alius ſuſceptio.

Suſcipiens Ordinem per ſaltum ſuſpenditur ab Ordine ſic ſuſcepto; non

tamen ab exercitio, aliorum Ordinum ritè ſuſce ptorum.

aſcendendi modum ac ordinē invertendo, peccabit graviter. Sicuti colligitur ex gravitate pœnæ talibus ſtatutæ. Incurrit enim ſuſpenſionem ab exercitio Ordinis ſic ſuſcepti, id eſt, prohibetur exercere munia & functiones Ordinis per ſaltum ſuſcepti: ſuſpenſio enim eſt cenſura, ſive pœna Eccleſiaſtica, quâ Clericus prohibetur exercere functiones aliquas Eccleſiaſticas. Dixi Ordinis ſic ſuſcepti; nam ordinatus per ſaltum non ſuſpenditur ab exercitio aliorum Ordinum rite ſuſceptorū, ut docet Suar. *De Cenſ. Diſp.* 31. *Sect.* 1. & alii contra Navarrum, quia pœnæ cum ſint odioſæ, non ſunt extendendæ ultra id, quod propriè acceptæ ſignificant; unde cum jura non exprimant, ſitne hæc ſuſpenſio ipſo jure incurrenda, videtur non improbabilis eorum opinio, qui docēt, ordinatum per ſaltum non eſſe ipſo jure ſuſpenſum, ſed per ſententiam Judicis ſuſpendendum.

Hæc ſuſpē-ſio probabilius ipſo jure incurritur: non eſt tamen improbabile per ſententiam judicis infligendam eſſe.

dum. V. Dian. *P. 5 Tr. 5 Reſ. 27.* Contraria tamen ſententia communior eſt & probabilior. Suar. l. c. imò quia probabiliter multi docent Ordines minores non eſſe Sacramenta, ſed Sacramentalia, ut ſuprà oſtenſum eſt, probabile quoq; erit promotum per ſaltum ad Subdiaconatum, prætermiſſis Minoribus, quamvis quidem hac ratione graviter peccet, cùm agat contra ritum Eccleſiæ in re gravi, ſuſpenſionem non incurrere, quod adhuc magis verum eſt de ſuſcipiente Ordines omiſsâ primâ Tonſurâ, cùm hæc non ſit Ordo. Videntur enim jura loqui de Ordinibus propriè & ſtrictè talibus, id eſt, iis, qui ſortiuntur naturam Sacramenti, quales ſunt ſacri & majores Ordines. Poteſt autem Epiſcopus cum promotis per ſaltum ex legitima cauſa diſpenſare, ut Ordinem prætermiſſum ſuſcipiat, in malè ſuſcepto miniſtret, & ad ſuperiores aſcen-

Probabiliter non incurritur à ſuſcipiente per ſaltum Subdiaconatum præteritis Minoribus, vel ſuſcipiente Minores præteritâ primâ Tonſurâ.

Uterque tamen graviter peccabit.

Cum promotis per ſaltum poteſt Epiſcopus diſpenſare; ſi in Ordine ita ſuſcepto non miniſtraverint.

dat, dummodo in Ordine per ſaltum ſuſcepto non miniſtraverit. Nam Trid. *Seſſ.* 23. *c.* 14. *de Reform.* Dat quidem Epiſcopis facultatem diſpenſandi cū promotis per ſaltum præfatâ tamen clauſulâ limitatam, ſi non miniſtraverint. V. Dian. Suar. & alios.

## CAPUT VI.

### *De interſtitijs temporum ſervandis.*

Interſtitia temporum ab uno Ordine ſuſcepto ad alterum ſervari debent.

Quatuor Minores cum prima Tonſura ſimul accipi poſſunt.

Pro Majoribus requiritur interſtitium unius anni; ut ab uno

QUintum, ſunt Interſtitia temporum, ſervanda à ſuſceptione unius Ordinis ad ſuſceptionem alterius. Et quidem quoad Minores nihil à jure ſtatutum eſt, unde omnes quatuor una cum prima Tonſura ſuſcipi poſſunt; circa Majores autem ſtatuit Trid. *Seſſ.* 23 *c.* 11. *de Reform.* Ut hi non niſi poſt annum ab alterius ſuſceptione a quoquam accipiantur, niſi neceſſitas aut utilitas Eccleſiæ judicio Epiſcopi aliū exigat: Et quidem pro Sacerdotio

dotio requirit Trid. neceſſitatem & utilitatem copulativè, ita ut ſimul adſit neceſſitas & utilitas Eccleſiæ, pro Subdiaconatu autem & Diaconatu diſiunctivè; ita ut unũ ex illis vel neceſſitas vel Eccleſiæ utilitas adſit. Porro hæc neceſſitas vel Eccleſiæ utilitas habet ſuam latitudinem, ſicut cætera Moralia, juxta arbitrium prudentis&boni viri. Barb. *in Collect ſup Trid c 14. n. 2.* ita ſecundum Hurtad. *Tract. de Ord. diff.* 23. Neceſſarius & Eccleſiæ utilis ille eſſe cenſebitur, qui habet beneficium ſeu Capellaniam cum onere celebrandi. Et juxta Dian. *Part.* 4. *tr* 4 *Reſ.* 209. ex declaratione Cardin. is Eccleſiæ utilis reputabitur, qui in literis aut virtutibus multum profecit. Interim contra Decretũ Trid. de ſervandis interſtitiis obtinet nunc generalis cõſuetudo Germaniæ, ut omnes omnino, niſi defectus doctrinæ, morũ, aut aliud legitimum impedimentum interveniat, intra

transſeatur ad alterũ; niſi judicio Epiſcopi neceſſitas & utilitas pro Sacerdotio; pro duobus reliquis neceſſitas vel utilitas aliud exigat Neceſſitas vel utilitas requiſita habet latitudinem ſuam juxta prudentis & timorati viri iudicium. Unde neceſſarius & utilis reputabitur, qui habet beneficium cum onere celebrandi; & ille utilis qui in literis & virtute multum profecit.

In Germania Decretum Trid. non eſt in prædicto rigore receptum; unde iſthic nunc obtinet conſuetudo, ut omnes Ordines ſuſcipiantur intra medium annum, aut in quibuſdam etiam locis intra ſex hebdomadas quadrageſimæ.

medium annum, & quibuſdam in locis, intra ſex hebdomadas quadrageſimæ, promoveantur ab infimo Ordine ad ſupremum. V. Gob. Theol. Exp. *Tr. 8. Caſ 12. n 492.*

# CAPUT VII.

## *De certo anni tempore & loco, quo Ordines ſuſcipiendi ſunt.*

Statuitur certũ anni tempus, extra quod Ordines ſuſcipi non debent; niſi fiat cum privilegio.

SExto loco requiritur certum anni tempus, quo Ordines ſuſcipi poſſunt; ita ut extra hæc tempora à jure ſtatuta Ordines ſuſcipere grave ſit peccatum, niſi fiat cum privilegio. V. Dian. *P 3. tr 2. Reſ 31. & tr. 13 Reſ. 57.* & quidem prima Tonſura quocunque die, hora & loco accipi poteſt. Minores verò Ordines quavis Dominica & Feſto duplici, ubicunque, id eſt, in quovis loco

Aſſignatur tempus primæ Tonſuræ: item minorũ Ordinũ.

loco decenti, mane tamen, ut loquitur Pontificale, tit. de Ordin. conferendis ſuſcipi poſſunt, tametſi feſtum non ſit de præcepto, id eſt, tale, quo vacatur ab operibus ſervilibus. Dian. *p 5 tr. 13. Reſ 97.* Rodriq. & alii, quod etiam juxta Dian. *l. c.* verum eſt, quando ex diſpenſatione Pontificis quiſpiã ordinari & ad majores Ordines admitti poteſt tribus diebus feſtivis. Quæ diſpenſatio ex communi Theologorum ſenſu ſemper accipienda eſt de tribus diebus interpolatis & diſcontinuis, etſi in literis diſpenſationis de hoc nulla fiat mentio, niſi ex ſpeciali gratia contrarium concedatur, prout conceſſum eſt Societati noſtræ hac prorſus ſingulari clauſulâ: tribus diebus feſtivis etiam continuis, hoc eſt, nullo alio die interpoſito ſibi ſuccedentibus. V. Privil. Soc. nec obſtat ſententiæ Dianæ & aliorum Decretum Urbani VIII. quod adducit Card. de

An Feſtum duplex, quo Ordines cõferri poſſunt, neceſſariò ſit Feſtũ de præcepto.

Lugo, quo voluit, Pontificali noviter recognito, in titulo de Ordinibus conferendis, expreſsè addi hæc verba: diebus feſtivis ex præcepto, hoc inquam non obſtat, cùm ſenſus horum verborum, ex præcepto, inter auctores dubius ſit & controverſus. V. Gob. *Tr.* 8. *Caſ* 11. *n.* 476. Contrarium tamen eſt communius & probabilius, per dies feſtivos intelligi eos ſolum dies, qui in choro ſimul & foro celebrantur. Pal. *Tr.* 27. *P.* 13. *n.* 7. Eſcob. & alii communiter; quia in vulgari ſermone, nomine diei feſtivi à doctis æque ac indoctis paſſim intelligitur dies, quo vacatur ab operibus ſervilibus. Et ſi hoc nomine intelligendi eſſent omnes illi dies, qui in Breviario vocantur Feſti, etiam ſub eodem nomine accipienda forent omnia Feſta ſimplicia, nam & illa in Breviario dicuntur Feſta. Poſſunt etiam Minores ſuſcipi ex recepta Epiſcoporum conſuetudine Feriâ

ſextâ

ſextâ quatuor Temporum, hoc eſt, die Veneris, Veſperi ante Sabbathũ quatuor Temporum, aut aliud Sabbathum, quo de jure omnes Ordines ſuſcipi poſſunt. Dian. *P. 2. tr. 16. Reſ. 28.* Henriq. & alii. Poſſe etiam eos mane illius feriæ ſextæ ſuſcipi oſtendit Gob. *l. c. n. 452.* ex praxi diœceſis Conſtantienſis; quia hæc eſt inchoatio quædam generalis ordinationis in Sabbatho peragendæ. Imò ex eadem ratione etiam poſſe ſuſcipi Feriâ quartâ quatuor Temporum, ſaltem ubi eſt conſuetudo, non eſt improbabile ex Henriq. Sa Verb. Ordo, n. 13. Majores Ordines de jure communi ſuſcipi poſſunt Sabbathis quatuor anni Temporum, item Sabbathis ante Dominicam Paſſionis, & Dominicam Reſurrectionis Chriſti. Vaſq. *in 3. part. tom. 5. diſp. 246. c. 5.* & alii communiter, idque in Eccleſia, quæ juxta Trid. *Seſſ. 23. c. 8. de Reform.* pro ſolemni ordina-

Conſuetũ tempus Ordinum majorum.

tione requiritur ; pro privata probabile eſt ſufficere Sacellũ. Dian. & alii comm. cum Trid. ſolum loquatur de ſolemni, id eſt, ea, quæ fit ſtatutis à jure temporibus.

---

# CAPVT VIII.

## *De jejunio tam Epiſcopi, quàm ordinandi, tempore ordinationis.*

Quando Epiſcopus ex cauſa in Sabbatho non poteſt abſolvere totam ordinationem; vel eam nequit inchoare: poterunt Majores ſuſcipi ſequenti die Dominicâ; modò tam Epiſcopus quàm ordinandus continuet jejunium uſque in Dominicâ.

QUod ſi Epiſcopus ex juſta cauſa v. g. ob multitudinem ordinandorum Sabbatho non poſſit abſolvere totã ordinationem, vel etiam ob ſimilem cauſam non poſſit inchoare, poterunt majores ſuſcipi ſequenti die Dominicâ, dummodo tam ipſe Epiſcopus quàm ordinandus continuet jejunium uſq; ad Dominicam. Nam per continuationem jejunii dies Dominicus fictione juris fit unus dies cum Sabbatho, ac proinde quod licet Sabbatho, licebit & Dominico. Dian. *P. 2 Tr. 2. miſcell Reſ* 30. & alii;

& alii ; ex qua modò data ratione rectè ſequitur non poſſe juxta cap. litteras, de tempore Ord. eum, qui in Sabbatho ſuſcepit unum ſacrum Ordinem, in Dominica ſuſcipere alium ſacrum. Nam aliàs uno die ſuſciperet duos majores, eo quod dies Dominicus reputetur idem cum ſabbathino propter continuationem jejunii. Eſt autem juxta Trid. *Seſſ. 13. C. 23. de reform* omnino illicitũ uno die ſuſcipere plures ſacros Ordines. Excipe Epiſcopatum, qui eadem die Dominica, qua quis Sacerdos creatur, ſuſcipi poteſt. Nam Canones prohibentes uno die ſuſcipi duos ſacros Ordines majores, non extendunt ſe ad Epiſcopatum. Pal. *Tract. 27 p 13. n. 4.* Et alii comm. contra Suar. quia Epiſcopatus ex probabili ſententia non diſtinguitur niſi inadæquatè à Sacerdotio. Nullo quoque jure ſcripto, aut generali conſuetudine ſaltem ſtrictè obligatoria, id eſt, ea, in

In caſu nõ abſolutæ ordinationis die Sabbathi non poterit is, qui in Sabbatho ſuſcepit unũ ſacrum Ordinem, in Dominica alium ſuſcipere,

Plures Ordines eodẽ die ſuſcipi nequeunt, excepto Epiſcopatu, qui ſuſcipi poteſt eodẽ die, quo quis Sacerdos creatus eſt.

Poſſunt quatuor Minores cum Subdiaconatu uno die ſuſcipi.

qua Epiſcopus ex rationabili cauſa diſpenſare non poſſit, vetitum eſt, quin uno die Subdiaconatus cum quatuor Minoribus ſuſcipi poſſit. Nam Canones, qui in contrarium citantur, non loquuntur, niſi de Ordinibus ſacris, prohibitio autem circa ſacros malè extenditur ad non ſacros. V. Vaſq. *Tom. 3. in 3. part. diſp. 246. c.* 5. & alios plures. Adde quod plerique ex Authoribus huic ſententiæ contrariis admittãt illis in locis, in quibus viget conſuetudo, uno die ſuſcipiendi dictos quinque Ordines, eam tolerari poſſe, cum à nullo jure talis conſuetudo damnetur, accedente præſertim diſpenſatione Epiſcopi ratione interſtitiorum. Cæterum jejunium, quod juxta cit. cap. literas de temp. Ordin. pro caſu translatæ ordinationis à ſabbatho in ſequentem dominicam, indicitur tam Epiſcopo quàm ordinãdo, non eſt neceſſariò naturale ut vult Laym.
*Lib.*

*Lib 5. Tract 9. C. 7.* Dian. & alii, id eſt, non, eſt neceſſariò tale, ut ab hora ordinationis in Sabbatho factæ, nihil omnino guſtet, imò ne quidem ablutionem ſumat in ſacro Sabbathi; ſed ſufficit Eccleſiaſticum, id eſt, tale, in quo horâ undecimâ ſumitur prandium, ſive cœna, & veſperi conſueta collatio. Nam hoc eſt jejunium Eccleſiæ. Sanch. *L 7. Conſ. mor. C. 1. Dub. 51.* Sylveſter & alii. Neque aliud jejunium ex conſuetudine ſervari putat Gob. *Tr. 6 Caſ 9 n 356. cum Gloſſ. in cap.* quod à Patribus. verb. Sabbathi. Verum quia hoc jejunium à præfatis Authoribus dicitur magnum, ut ait Sanch, & à Jordano indiſcretum, & periculoſum, quæ nomina non conveniunt ordinario jejunio Eccleſiæ, hinc idem Gob. l. c. cenſet abſtinendum tunc eſſe prādio, ſumi autem poſſe collationem veſpertinam. Sed hi tituli dari potuerunt propter continuationem jejunii uſque

Jejunium indictum Epiſcopo & ordinando pro caſu, quo transfertur ordinatio à Sabbatho in Dominicam, nō eſt neceſſario naturale; ſed ſufficit Eccleſiaſticum.

in ſequentem diem Dominicam, quam jejunii prorogationem Eccleſiaſticum non requirit. Extra jam dictum caſum nullus reperitur textus juris, qui obliget Epiſcopum aut ordinandum ad ullum jejunium. Unde neque Epiſcopus neque ordinandus tenentur jejunare pridie ordinationis, niſi fortè in illum diem cadat jejunium Eccleſiæ. Gob. *l. c. n. 257.* Auctor nihilominus ſum, ut hi, qui per ſacrorum Ordinum ſuſceptionem adituri ſunt miniſterium ipſis Angelis tremendum, angelico cibo, id eſt, pridiano jejunio ex devotione utantur. Nam ut loquitur S. Athanaſius Lib. de Virg. jejunium Angelorum cibus eſt, & qui eo utitur, Ordinis Angelici cenſendus eſt.

Extra ſupradictum caſum neq; Epiſcopus, neq; ordinandus obligatur ſpeciali jure ad jeiunium pridie ordinationis.

Suadetur ordinandis, ut ad ſuſceptionem ſacri Ordinis voluntario jeiunio ſe diſponant.

## CAPUT IX.

*De irregularitate, quæ ab ordinando neceſſario abeſſe debet.*

Ordinãdus non debet eſſe irregularis.

SEptimò requiritur, ut ordinandus non ſit irregula-

ris. Nam irregularitas eſt impedimentum à jure Canonico inductum, quo quis fit inhabilis & ineptus ad Ordines ſuſcipiendos licitè, & ſuſceptos licitè exercendos. Quæ ſi prohibet ſuſceptionem omniū Ordinum, & ſuſceptorum exercitium, dicitur totalis, ſi autem prohibeat ſolum aſcensū ad Ordinem ſuperiorem, aut impediat alicujus tantum Ordinis exercitium, dicitur partialis. Et quia irregularitas oritur ex quolibet defectu, ſive naturali, ſive morali, qui aliquam poſt ſe indecentiam trahit ad Ordines decenter ſuſcipiendos aut exercendos, hinc rectè dividitur in eam, quæ eſt ex defectu, & in eam, quæ eſt ex delicto. Prior, quæ eſt ex defectu naturali corporis aut animæ &c. non eſt pœna, quia nullam ſupponit culpam, poſterior, quæ eſt ex delicto, eſt quidem pœna, non autem medicinalis, quales ſunt cenſuræ, quæ infliguntur per modum

Explicatur quid ſit irregularitas; & quando totalis, quando partialis dicatur.

Alia eſt ex defectu, alia ex delicto.

Quæ eſt ex defectu, nō eſt pœna: quæ verò ex delicto eſt pœna; at non medicinalis, quales ſunt cenſuræ, ſed punitiva. Unde

medicinæ ad curandam & tollendam in delinquente contumaciam, quâ præceptum aut legem Eccleſiaſticam contumaciter violat; ſed eſt pœna punitiva & ex ſe perpetua, quâ in perpetuum, niſi accedat diſpenſatio, impeditur à ſuſceptione Ordinum & eorum uſu. Unde irregularitas non eſt cẽſura, neq; ad modum cenſuræ tollitur per abſolutionem, ſed per ſolam diſpenſationẽ. Bon. *De cenſur. dub.* 1. *quæſt* 1. *part.* 1. Ac proinde quando in jubilæis aut privilegiis datur poteſtas abſolvendi à cenſuris, non cõprehenditur irregularitas, niſi expreſsè Addatur. Non eſt tamen improbabile irregularitatem provenientem ex delicto, & quæ eſt pura pœna peccati, venire nomine cenſuræ, adeòque ab habente poteſtatem abſolvendi à cenſuris, etiã ab hac abſolvere poſſe. Dian. *Part.* 4. *Tract.* 2. *reſ.* 103.

nõ tollitur abſolutione, ſed diſpẽſatione. Nec comprehẽditur ſub cõceſſa poteſtate in Jubilæis abſolvendi à cenſuris, niſi expreſſè addatur. Quamvis nonuulli DD. de ea, quæ eſt pura pœna peccati, contrarium ſentiant.

CAPUT

# CAPVT X.

## *De defectibus, quæ irregularitatem inducere ſolent.*

ASſignantur paſſim ab Authoribus octo defectus irregularitatem inducẽtes; corporis ſcilicet, animæ, natalium, libertatis, bonæ famæ, ætatis, Sacramenti, lenitatis perfectæ. Et quidem circa defectus tam corporis, quàm animi rectè notat Gobat. *Tr. 8 Caſ. 17. Sect. 1. n. 654* hos, ſi ſuperveniant jam ordinato, non tam facilè impedire exercitium ſaltem privatum Ordinis ſemel ſuſcepti, quàm dum præcedunt, eorum ſuſceptionẽ impediant, quia longè major requiritur cauſa, ut ille, qui ſæpius & legitimè ad aram ſtetit, arceatur ab altaris Miniſterio, quàm ille, qui nunquam altari ſervivit. Nam turpius ejicitur, quàm non admittitur hoſpes cap. Quemadmod. §. 1. de jurejur. Nos ſuprà nominatos octo defectus diſtinctis Paragraphis clariùs exponemus.

Octo ſunt defectus irregularitatem inducentes, qui ſi ordinato ſuperveniant, non tam facilè impediunt exercitium Ordinis ſuſcepti, quam illius ſuſceptionem.

§. I.

## §. I.

### *De defectu corporis*

Ex defectu corporis irregularis eſt, qui v. g. turpiter claudicat, deformem habet Gibbum, &c.

PRimus eſt defectus corporis, quando nimirum corpori ineſt membri alicujus mutilatio, ſi v.g. careat manu, pollice, indice, oculo præſertim ſiniſtro &c. vel notabilis ineſt deformitas, ut ſi turpiter claudicet, habeat faciem valde uſtulatam, deformem gibbũ, ſit nanus, æthiops, gigas, idq; inter alienos, ubi hujuſmodi diſparitas offenſionem & contemptum parit, quamvis de æthiopibus Dian. *P 4. Tr. 2. reſ. 84.* Cum aliis id neget. Nam inter ſuos ſibi ſimiles, ubi jam dicta ratio ceſſat, non ſunt irregulares. Similiter ſi ſit hermaphroditus, id eſt, in quo aliquando fœmineus aliquando virilis ſexus prævalet, imò etſi prævaleat virilis ſexus. Suar. *De Cenſ. diſp 51. Sect. 2.* Bon. & alii contra Tolet. & Forn. Quia annumerantur monſtris, quæ ob decentiam ad

ad Ordines requiſitam, nemo facilè dicet eorum eſſe capacia, vel denique gravis infirmitas, ut ſi ſit leproſus, aut morbo caduco obnoxius &c. quia hæc reddunt hominem vel omnino ineptum ad functiones Ordinum exercendas, aut certè inhabilem ad eaſdem debita cum decentia obeundas. Porro mutilatio, quæ facta eſt ſine propria culpa, non facit irregularem, niſi reſpectu Ordinis, cujus exercitium impedit, aut niſi inducat gravem deformitatem, qualem v. g. induceret mutilatio naſi vel aurium, niſi hæc crinibus tegi poſſit, ut non appareat, jam enim ceſſat deformitas. Kôn. *Diſp* 18. *dub* 13. *n* 108. Proinde juxta Laym. *Lib.* 1. *tr.* 1. *p.* 5. *c* 7. & alios non erit irregularis, cujus pollex mutilatus vel truncatus adhuc ita firmus eſt, ut una cum indice hoſtiam frangere & elevare poſſit: ſicuti nec iſte, qui caret oculo canonico, id eſt, ſiniſtro, ſic dicto,

Non eſt irregularis, qui caret

oculo canonico; modò dexter ſufficiens ſit ad legẽdum decenter Canonem.

dicto, quod in lectione canonis Miſſæ ipſe potiſſimum adhibeatur, aut qui eo nihil videt, dummodo oculus ſit integer, & non erutus cum magna deformitate, & dexter oculus ſufficiat ad decenter legendũ canonem. Dixi mutilatio, quæ facta eſt ſine propria culpa, quia ſeipſum illicitè mutilans fit irregularis, tametſi mutilet membrum occultiſſimum, & quod non impediat Miniſterium ſacrum. cap. qui partem, in 6. diſt. 55. & quidem probabilius eſt non requiri notoreitatem facti ut cenſet Fernan. quamvis contrarium probabile dicat Tann. *in* 8. *part diſp.* 6. *q.* 10 *dub* 10

## § II.

### *De defectu animæ.*

Ex defectu animæ ſunt irregulares amentes, epileptici, Pagani, Judæi, publicè Hæretici, &c.

SEcundus eſt defectus animæ, qualis eſt in amentibus, epilepticis, id eſt, morbo caduco laborantibus, energumenis ſive à Dæmone obſeſſis, &c. in quibus ob infirmitatem

quam

quam patiuntur, vel omnino vel certè ad tempus deficit perfectus rationis ac libertatis uſus: præterquam quod hæc mala notabilem poſt ſe trahãt deformitatem. Similiter ex defectu animæ erunt irregulares Pagani, Judæi, publicè Hæretici, quia in eorum mentibus deficit vera fides. Dixi publicè Hæretici, nam ſi quis eſſet occultè Hæreticus, ac dein legitimè abſolutus, non foret irregularis, quia in tali præter defectum fidei ſimul ceſſaret offenſio & infamia ex Hæreſi oriri ſolita. Laym. l. c. Tann. *tom 4. diſp. 6 q. 10 num. 200.*

Filius hæretici parẽtis ad fidem Catholicã converſus iſthic, ubi hæreſis non parit infamiam, non eſt irregularis.

Qui ex jam dicta ratione cum aliis Auth. cenſent, filium hæretici parentis ad fidem Catholicam converſum non eſſe irregularem in iis locis, in quibus hæreſis non parit infamiã, ſicuti non parit in Germania. Item ex defectu animæ erunt irregulares illiterati, in quibus deficit ſcientia ad Ordines requiſita: ſicut etiam neophyti

ſeu

ſeu recenter converſi ob dictum neceſſariæ ſcientiæ defectum, qui in illis communiter eſſe ſolet; tamdiu habentur irregulares; donec judicio Epiſcopi ſufficienter fuerint inſtructi. V. Tol. *l.* 1 *c.* 64 & alios.

## § III.

### *De defectu natalium.*

Ex defectu natalium omnes illegitimè nati ſunt irregulares.

TErtius eſt defectus natalium, ex quo habentur irregulares omnes illegitimi, id eſt, qui non ex legitimo matrimonio, ſed fornicatione, adulterio, aut alio quovis illicito cōcubitu ſunt geniti, quia tales ratione originis habentur viles & contemptibiles. Filii expoſiti habendi ſunt pro legitimis, quia tales in nullo jure illegitimi declarantur; & interdum parentes filios legitimos ob paupertatem exponunt. Turrian. *de Cenſ. l* 9 *diſp.* 71 *dub* 1. Dian. & alii. In dubio utrum aliquis ſit illegitimus, habendus eſt pro legitimo, quia in dubio non præſumitur

Filii in plateis aut alio loco publico expoſiti habendi ſunt pro legitimis

In dubio defectus natalium non præſumitur, ſed probari debet.

tur

tur defectus, ſed probari debet Dian. *P. 4. tr. 2. Reſ. 59.* hinc neque tenetur filius ſemper tractatus & habitus ut legitimus, credere matri conjugatæ, etiam in fine vitæ cum juramento affirmanti, ipſum eſſe illegitimum, niſi particulares circumſtantiæ & rationes contrarium evincant, ut ſi pater idẽ aſſerat. Bon. *de Cenſ. diſp. 7. q. 2. punct. 3* & DD. com̃. Nam illa continua tractatio filii tanquam legitimi efficit præſumptionem tam fortem, ut non elidatur contrariâ aſſertione matris factâ cum juramento in fine vitæ. Matres enim ſæpe, ut loquitur Nav. *Conſ. lib. 1. de filiis presbyt.* Ob varias cauſas mentiuntur in ſimilibus caſibus. Idem eſt, quando maritus aliquem tractavit ut filium ſuum, orto dein dubio, utrum ſit ab ipſo genitus, præſumitur eſſe ab illo genitus, adeoque legitimus. Imò qui natus eſt ſeptimo menſe poſt nuptias parentum

Unde filius ſemper habitus, ut legitimus, non tenetur credere matri in fine vitæ aſſerenti, ipſum eſſe illegitimũ.

Qui natus eſt ſeptimo menſe poſt nuptias, aut 12 vel 13 poſt mortem mariti non eſt habēdus illegitimus

tum, aut duodecimo vel decimo tertio poſt mortem mariti, cui nupſerat mater, non eſt habendus illegitimus. V. Gob. *in Theol. Iurid. Mor. c. 28 n. 97. & ſeq.* Cæterū illegitimi communi jure legitimantur, id eſt, conſtituuntur in eo ſtatu, ac ſi nunquam fuiſſent illegitimi, primo perſubſequens matrimonium inter eorum parentes, dummodo hi tempore conceptionis fuerint habiles ad validè cōtrahendum. Sylv. *V. illegitim. q. 3.* Unde fornicario in periculo mortis ſuadendum eſt à Confeſſario, ut puellam, quam imprægnavit, ducat in uxorem, antequam moriatur; ut hac ratione proles in utero latens, aut fortè jam nata fiat legitima. Similiter is quoque cenſebitur legitimus, qui natus ex matrimonio invalido propter aliquod impedimentum occultum, ſed bona fide ſaltem unius, id eſt, patris vel matris contracto. Secus ſi uterque impedimentū ſcive-

Quomodo illegitimi legitimentur.

ſciverit. Bon. *de Cenſ. diſp. 7 q. 2. punct. 3.* & alii comm. Secundò per profeſſionem religioſam, quâ legitimantur quidē ad Ordines ſuſcipiendos; non tamen ad Prælaturas & dignitates ejuſdem Religionis, nam ad has ſine diſpenſatione promoveri nequeunt. V. Dian. P. *4. tr. 2. Reſ. 65.* Suar. Leſſ. & alios. Tertiò per legitimationem factam à Papa, quia is ſolus legitimare poteſt ad jura & muna Eccleſiaſtica: ad quæ Principes ſæculares ſaltem communiter nequeunt legitimare, poſſunt tamen ad officia ſæcularia & hæreditates. Nav. *Cenſ l. 2. de fil. presbyt.* Quartò per diſpenſationem, per quam tamen propriè non legitimantur, quia per hanc non conſtituuntur in eo ſtatu, ac ſi nunquam illegitimi fuiſſent, ſed relinquendo ſtatum corruptum, fit illis jus ad Ordines, dignitates & beneficia, ad quæ permanente priore ſtatu inhabiles fuiſſent. Pal. *de Cenſ. diſp 6.*

Quid ſit diſpenſare cum illegitimo: & quinam diſpenſare poſſint.

Diſpen-

Diſpenſat autem ſolus Papa quoad Ordines majores, dignitates & beneficia curata: quoad Minores & beneficium ſimplex etiam Epiſcopus *ex c. 1. & 2. de fil. Presbyt.* Quod ſi quis ignarus ſuæ illegitimitatis bonâ fide ad Ordines foret promotus, poterit cum eo, veritate rei compertâ, diſpenſare Epiſcopus. Dian. *P. 7 tr. 2 reſ.* 24. Henriq. & alii. Imò probabiliter poterit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo occulto. Idem l.c. cum Laym. & aliis, eo quod Epiſcopus vi Trid. *Seſſ. 24 c. 5 de reform.* poſſit diſpenſare in irregularitatibus omnibus ex occulto delicto provenientibus, excepto homicidio & aliis ad forum contentioſum deductis. Illegitimitas autem occulta provenit ex delicto occulto, non quidem proprio, ſed parentum, adeóque erit ab Epiſcopo diſpenſabilis. Avila *de Cenſ. Part. 7. diſp. 3 dub 9.* cum Auth. ſuprà citatis. Contra

tra communem aliorum, qui docent irregularitatem, quæ ſtatuitur pro illegitimis, non eſſe propter delictum parentum, ſed propter indecentiam & contemptibilitatem, ſic natis adhærere ſolitam. Diſpenſatio autem à quocunq; facta non ſubſiſtet, niſi dum illam petis, ſimul exprimas circumſtantias aggravantes tuæ illegitimitatis v. g. utrum natus ſis ex utroque parente ſoluto, an ex uno illorum conjugato, aut in Sacris conſtituto, &c. *Sanch. de Matrim. L. 8. diſp. 24. n. 3 & 5.* cum aliis multis, quos citat. Nam quo plures ſunt circumſtantiæ, eo difficilior eſt diſpenſatio, adeóque niſi hæ exprimantur, erit diſpenſatio ſubreptitia.

Non ſubſiſtit diſpenſatio, niſi in illa exprimantur circumſtantiæ quæ augent & aggravāt illegitimitatem.

## §. IV.

### *De defectu libertatis.*

QUartus eſt defectus libertatis, propter quē omnes ſervi propriè dicti, id eſt, ii, qui aliorum mancipia ſunt, adeó-

Ex defectu libertatis ſunt irregulares ſervi pro-

prie dicti; imò ſecundum aliquos etiam originarii.

adeóque in Dominorum poteſtate omnino conſtituti, imò juxta Laym *L. 2 tr. 1. c. 8.* etiam ſervi originarii irregulares ſunt, nec ad Ordines admitti poſſunt ſine conſenſu Dominorum ſuorum. Similiter ob hunc ipſum libertatis defectũ irregulares habentur omnes Curiales, id eſt, qui Curiæ ſæculari obligati ſunt in Miniſterio publici alicujus Officii, ſive hæc obligatio ſit ex juramento, ſive pacto aut ſtipendio, quamdiu hæc officia retinent; niſi fortè ſpecialis Diſpenſatio pro dictis officiis à ſummo Pontifice obtineatur, aut eodem conſcio contraria conſuetudo toleretur. Nam tales non ſunt amplius ſui, ſed Domini, cui obligati ſunt. Adde quod juxta Apoſt. *2. ad Timoth. 7* nemo militans Deo implicare ſe debeat negotiis ſæcularibus. *ex cap.* 1. 2. & 3. *diſt* 15. V. Dian. P 4 *tr* 2. *Reſ* 98.

Item Curiales, quamdiu publica officia retinent, nec per diſpenſationem, aut contrariam tolerãtam conſuetudinẽ ab irregularitate eximantur.

§. V.

## §. V.

### *De defectu bonæ famæ.*

QUintus eſt defectus bonæ famæ, ex quo ſunt irregulares, quicunq; infames habentur ſive ea infamia ſit juris, id eſt, ſive ex jure civili aut Eccleſiaſtico viles & infames reputentur! prout habentur Circulatores, Hiſtriones, Mimi, Comœdi, & alii Artes ejuſmodi & Officia exercentes: ſive ſit infamia facti, id eſt, ſive ex enormi aliquo & notorio crimine à te commiſſo infamiam contraxeris v. g. Proditione, Sacrilegio. & aliis ſimilibus, quæ degradatione vel depoſitione digna ſunt Dixi notorio. Nam ſi occultū ſit, etſi habeat infamiam ipſo jure annexam, modò excipias homicidium & cenſuræ violationem, non inducit irregularitatem, ut docet Kon Nav. Laym. contra Sylv. & Suar. Quod ſi quis à civili Magiſtratu aut alia Superiore poteſtate

Ex defectu bonæ famæ ſunt irregulares, qui infamia juris vel facti laborant.

notatus foret aliqua infamia; & ab eiſdem priſtinæ famæ reſtitueretur, deſinet eſſe irregularis. Ejuſdem enim eſt abſolvere, cujus ligare. *L. Nemo ff. de Reg Iur.* Suar. *de Cenſ diſp.* 48. *Sect.* 2. idem eſt dicendum de eo, qui per publicam & conſtantem vitæ emendationem infamiam facti à ſe removet, & omnino tollit. Vid. Laym. *L.* 1. *tr* 5 *part.* 5. *c.* 4. qui juxta communem ſententiam excipit hæreſin & apoſtaſiam notoriam: Nam hæc impediunt à ſuſceptione Ordinum etiam poſt pœnitentiam & abſolutionem, quia tales ipſo jure habentur infames. Non improbat tamen conſuetudinem regionum quarundam ſeptentrionalium, in quibus Epiſcopi ordinare ſolent ex hæreſi ad fidem Catholicam converſos & abſolutos, eo quod tales neque in civili jure à publicis dignitatibus & officiis repellantur, adeóque iſthic infames non habeantur. Imò

vult

vult eſſe certum, Epiſcopum poſſe diſpenſare cum talibus ad fidem converſis, per privilegium diſpenſandi ſuper omnibus irregularitatibus, præter eas, quæ ex voluntario homicidio, mutilatione, bigamia, & natalium defectu contractæ ſunt.

## §. VI.

### *De defectu ætatis.*

SExtus eſt defectus ætatis requiſitæ ad Ordines ſuſcipiendos, de quo ſupra dictum eſt.

De hoc defectu ſupradictum eſt.

## §. VII.

### *De defectu Sacramenti.*

SEptimus eſt defectus Sacramenti, ſubintellige Matrimonii, quod per bigamiam, ſive per conjugium cum duabus legitimis uxoribus ſucceſſivè habitum, deficit in perfecta ſignificatione conjunctionis Chriſti cum Eccleſia tanquam Sponſa ſua. Habet enim Sacramentum Matrimonii id ex ſui inſtitutione, ut repræ-

Ex defectu Sacramenti ſunt irregulares omnes bigami.

ſentet unionem Chriſti cum Eccleſia factam per Incarnationem ; quâ viſus eſt quodammodo relinquere Patrem ſuum cœleſtem, & poſtmodũ Matrem ſuam Synagogam: Ut Sponſæ ſuæ Eccleſiæ adhæreret Juxta illud Apoſt. ad Eph 5. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. Cùm autem Chriſtus non copulaverit ſibi niſi unicam Sponſam, & ab alio non aſſumptam, id eſt, veram Eccleſiam deficit hujus Myſterii ſignificatio in Matrimonio cum ſecunda uxore, vel cum Vidua, aut cum perſona ab alio corrupta. Plenius autem & perfectius ſignificatur per Matrimonium cũ una Sponſa, eáque Virgine. Cæterum ab AA. triplex ſtatuitur bigamia irregularitatem inducens. Prima eſt vera & propriè dicta bigamia, quando quis ſucceſſivè duabus nupſit conſum̃ans cum utraque Matrimonium : Altera eſt interpreta-

Bigamia inducens irregularitatem triplex eſt: Prima vera,

pretativa quæ ſecundum juris interpretationem fictionémve bigamia dicitur: & hac ratione bigamus erit, qui primo etiam Matrimonio Viduam aut perſonam ab alio corruptam ſibi copulat, quia deficit à ſimilitudine Chriſti copulantis ſibi Eccleſiam à nemine alio aſſumptam, & ſibi ſoli deſponſatam: Item qui copulam carnalem habuit cum legitima uxore, poſtquam fuit ab alio intra vel extra Matrimonium carnaliter cognita; nam hîc quoque deficit perfecta ſimilitudo Chriſti cum Eccleſia. Nec refert utrum mulier volens aut per vim cognita fuerit, & num vir adulterium coniugis ſciverit, an non, quia hæc irregularitas non oritur ex culpa; ſed ex defectu ſignificationis Sacramenti. Tertia dicitur ſimilitudinaria, ob ſimilitudinem, quam habet cũ utraq; iam dicta bigamia, eſtq; ex hac irregularis, qui poſt ſolemne votum caſtitatis Matri-

& propriè dicta; altera interpretativa, tertia ſimilitudinaria.

monium contrahit, ac conſummat quamvis cum Virgine: Quia cenſetur duplex Matrimonium contraxiſſe, unum ſpirituale cum Chriſto, alterum carnale cum muliere. Quod ex iam dicta ratione etiam verum videtur, tametſi obtenta diſpenſatione Matrimonium contrahat cum Virgine. V. Medull. Theol. Abelly. *P. 2. tr. 2 06, Sect. 3. §. 1.*

## § VIII.

### *De defectu lenitatis.*

Ex defectu lenitatis ſunt irregulares, qui alium licitè mutilant vel occidũt, ſive id fiat in bello juſto ſive in legitimo judicio.

OCtavus eſt defectus lenitatis, ob quem fiunt irregulares, qui alium licitè mutilant vel occidunt in bello juſto, vel in legitimo judicio, quia tales non imitantur perfectè lenitatem & manſuetudinem Chriſti, qui noluit mulierem in adulterio deprehenſam pronunciare ream mortis: nec crucifixoribus ſuis juſtam à Patre vindictam, ſed veniam petiit. Hanc autem lenitatem vult Eccleſia eos imitari,

tari, qui ad altaris Miniſterium deputati, Chriſti tanquam agni manſuetiſſimi ad occiſionem ducti perſonam gerunt. Ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur, ut mors vel mutilatio ſive abſciſſio alicujus membri, quo nomine intelligitur ea pars corporis humani, quæ habet proprium actum & officium diſtinctum ab aliis, ut manus, pes, oculus &c. actu & re ipſa ſequatur. Unde non ſufficit mortem aut mutilationem à te fuiſſe intentam, aut decretam, nec alium à te graviter vulneratum aut percuſſum, dummodo hinc mors non ſequatur; quia irregularitas non ſtatuitur in jure niſi ob mutilationem aut homicidium re ipſa completum. V. Laym. *Lib. 3. Tract. 3. Part 3. Cap 8.* Et ob modò dictam rationem non extenditur præfata irregularitas ad abſciſſionem mẽbri aridi aut mortui, quia non eſt abſciſſio humani membri,

Explicatur, quid ſit aliũ mutilare.

utpote animâ hominis non informati: Neque ad debilitationem alicujus membri, quod nimirum ſic læditur, ut reddatur inutile ad ſuum Miniſterium. Idem eſt ſi membrum deformetur aut defodetur, modo non mutiletur: imò probabiliter nec ad notabilem partem alicujus membri, ut ſi quis amputaret dimidiam manum, vel omnes digitos, qui non habent diverſum, ſed acceſſorium actum cũ manu. Quia in pœnalibus ſignificationes nominum ampliandæ non ſunt. Nomine autem mẽbri, ut ſuprà dictum, hic accipitur ea pars corporis, quæ habet diſtinctum officium ab aliis partibus. Probabilius tamen eſt contrarium, quia gravis diminutio partis principalis æquivalet totali abſciſſioni, nam perinde eſt, acſi non haberet ejuſmodi membrum. V. Fill. *n.* 20. *de Cenſ. c.* 1 Dixi primò in bello juſto, ſubintellige offenſivo, hoc eſt, tali, quod

Nomine belli *juſti* intellige offenſivũ,

à Re-

à Republica, Principe, aut Rege ſuſcipitur in vindictam injuriæ ab hoſte illatæ. Qui in hujuſmodi bello, etiamſi ſit Clericus ſuâ præſentiâ alios animat, ad fortiter pugnandũ hortatur, aliúdve auxilium præſtat, modò ſuâ manu neminem occidat vel mutilet, licèt vulneret, nec quenquam hortetur ad occidendum aliquem in particulari, non ſit irregularis, prout habetur in cap. *Petitio, de homicid.* Quod privilegium conceſſum eſt in favorem juſti belli, & ne ingens hominum multitudo ligaretur vinculo irregularitatis. Aliud eſt in bello injuſto, in quo ob unius necem vel mutilationem omnes, qui re aut verbis ad alterutrum cooperati ſunt, fiunt irregulares. Quia plures ſimul conſilio, auxilio, alióve modo concurrentes ad homicidium, aliúdve delictum cenſentur eſſe cauſa moralis illius. Quod ſi quis aſſiſteret huic bello ad conci-

quod legitimi ſuſcipitur ad propulſandam injuriā ab hoſte acceptam.

Extra occiſionem & mutilationem quid in hujuſmodi bello liceat,

In bello injuſto quinā fiant irregulares.

liandam pacem, aut ferat opẽ in ſpiritualibus, non cenſetur cooperari morti aut mutilationi aliorum, adeóque nec erit irregularis In bello autem defenſivo, id eſt, eo, in quo Reſpublica, Princeps, aut Rex contra iniquum aggreſſorem ſe ſuóſque defendit, ſi quis alium occidat aut mutilet, non fit irregularis, quia ut rectè ait Suar. non intervenit defectus lenitatis, ubi eſt neceſſitas defenſionis: ac proinde occidendo aut mutilando etiam ob neceſſariam defenſionem honoris, vitæ, caſtitatis, bonorum temporalium magni momenti, ſive hæc propria ſive proximi ſunt, non incurritur irregularitas, quia hujuſmodi occiſio non eſt ſpontanea aut voluntaria; ſed ad defenſionẽ ſui vel proximi neceſſaria. Non incurritur autem irregularitas, ut bene notat Fill. *Tract. 20. de Cenſ. c. 6.* ob homicidium, niſi fiat injuſtè aut cum culpa, aut ex ſpontanea volun-

In bello defenſivo, quo quis ſe ſuoſque contra iniquum aggreſſorem legitimi defendit, occidens aut mutilans non fit irregularis.

voluntate; quod auem ſit coactè non ſit ſpontaneè. Dixi ſecundò in legitimo ſeu juſto judicio. Ex quo ob defectum lenitatis ex probabli ſententia, illi ſolum fiunt irregulares, qui ut publici Miniſtri juſtitiæ concurrunt ad cauſæ criminalis probationem vel executionem: Quia tales voluntariè, quamvis licitè, occidunt vel mutilant. Dicuntur autem hoc modo conurrere inprimis ipſe Judex ferens ſententiam, Tabellio ſeu Notarius ſcribens illam, Miniſtri eam exequentes teſtes, accuſatores &c. Hic tamen juxta *cap de hom. in 6.* erit liber ab irregularitate, ſi reum accuſet in cauſa propria, non verò aliena, cum proteſtatione ſe non intendere vindictam aut pœnam ſanguinis, ſed reparationem damni illati, quia jus ad propriam conſervationem eſt maximè naturale, & ideo in illius favorem hæc conceſſio facta eſt. Porro cauſa propria dicitur illa, quæ eſt

In legitimo & juſto Iudicio qui nā cenſeantur fieri irregulares.

Quid ſentiendum de accuſatore.

perſonalis ſive propria ipſi perſonæ, vel certè quæ eſt illius, qui habet tantam conjunctionem cum alio, ut hujus injuria cenſeatur redundare in propriam perſonam, qualis v. g. eſt inter patrem & filium, fratrem & fratrem, dominum & famulum, inter te & illum, cujus cura ex officio ſpeciali vel jure ad te pertinet. Dixi non verò aliena, quia in hac solum conceditur accuſatio, cum dicta proteſtatione ex jure naturali defendendi innocentem, quando non eſt alia via vitandi periculum certi nocumenti, quod alteri imminet, & propter quod tu obligaris ad faciendam accuſationem. In cauſa tamen propria licebit accuſare cum facta proteſtatione, etiamſi aliâ viâ poſſis recuperare res tuas, nec immineat periculum certi nocumenti in particulari, nec ſis obligatus ad accuſandum. V. Fill. *Tract. 19 de Cenſ. C.* 10. Et in his modò dictis caſibus,

qui

qui habet jus accuſandi; idem habet jus capiendi & detinendi eum, qui damnum intulit, indicandi locum ubi lateat, vociferandi ut capiatur. Quia jus petendi à Judice emendam hoc eſt, ſatisfactionem damni tibi illati, non excludit actiones ad hanc à Judice obtinendam neceſſarias. Præterquam quod hac ratione pravis hominibus danda ſit occaſio inferendi Clericis quaslibet injurias, utpote qui à prædictis ob periculum irregularitatis deterrerentur. V. Fill. l. c. Imò non eſt improbabile teſtem quoque & advocatum fore immunem irregularitate, ſi dictam adhibeat proteſtationem, eo quod accuſator ſine advocato & teſtibus ſuam cauſam proſequi non poſſit. Præpoſ. *Dub* 13 *n.* 104 *&* 105. Quamvis contrarium videatur eſſe probabilius, quia cit. cap. *de hom. in* 6. loquitur de ſolo accuſatore, & teſtis aut advocatus non defendat ſua, ſicuti

Quid de Teſte.

ſicuti

ſicuti accuſator, ſed aliena. Interim teſtis ſi gravi metu, aut præcepto ſuperioris obligante in conſcientia, aut jure naturali, hoc eſt, ex præſcripto rectæ rationis cogeretur ad dandum teſtimonium in cauſa ſanguinis, non erit irregularis, ſi dictam proteſtationem adhibeat. V. Dian. *P. 4 tr. 2, reſ. 31.* Quia talis non ſponte ſed coactè concurrit ad cauſam ſanguinis, ad quã aliæ perſonæ publicæ concurrunt ſponte & voluntariè, quia ſponte admittunt publica Miniſteria juſtitiæ, adeóque cenſentur voluntariè reis mortem inferre. Quamvis officio publico ſemel admiſſo teneantur in conſcientia ea præſtare, quæ officio annexa ſunt. Idem dici poterit de parte ſatellitum deducentium reum ad ſuppliciũ, quia non ex officio & ſponte, ſed adacti à magiſtratu id faciunt. V. Gob. *Tr 8. Caſ. 17. Sect. 1.* Imò univerſim loquendo omnes privatæ perſonæ, hoc eſt,

Quid de parte ſatellitum deducentium reum ad locum ſupplicii.

Quid de privatis

eſt, non inſtructæ publicâ authoritate ad probationem vel executionem ſententiæ, dummodo non concurrant injuſtè & cum peccato mortali, ſunt immunes ab omni irregularitate: Ita non erit irregularis Sacerdos, qui reum in loco ſupplicii hortatur, ut ultro denudet collum ad excipiendum fatalem ictum, vel alio licito modo cooperatur ad accelerandam ipſius mortem etiam deliberatè. V. Dian. *P. 3. tr. 5. reſ. 79.* Vaſq. Turr. Hurt. & alios contra Cajetanum, Nav. &c. ratio eſt, quia nulla irregularitas incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis, & quidem tam clarè expreſſis, ut dubium eſſe non poſſit, quin jura extendat ſe ad illos caſus, prout docet Suar. *de Cenſ. diſp. 40. Sect. 4* aliíque plures. Nulla autem verba ullius Canonis afferri poſſunt, ut loquitur Gob. l. c quæ extendant irregularitatem ex defectu lenitatis ortam, ad alios caſus, ſeu

perſonis ad mortem vel mutilationem licitè, aut ſaltem abſque gravi peccato injuſtitiæ concurrentibus.

alia

alia genera perſonarum, quàm eas, quæ publica auctoritate inſtructæ concurrunt ad cauſam ſanguinis, hoc eſt, mortis vel mutilationis. Denique aſſiſtentes in loco ſupplicii, ſi nullo modo ad id cooperētur, non ſunt irregulares. Et licèt Clericis prohibitum ſit, aſſiſtere executioni ſententiæ ſanguinis in cap. *Si Clerici vel Monach.* id tamen contrariâ conſuetudine abrogatum eſt. Mol. *diſp.* 73. *& alij* quamvis Suar. *diſp* 47 *ſect.* 4. velit peccari venialiter ob parvitatem materiæ. Aliud eſt de Clericis habentibus juriſdictionem temporalem in delinquentes: Quia tales ſuâ præſentiâ aliquo modo tribuunt authoritatem executioni ſententiæ. Suar. Fill. Bon. *Diſp.* 744 *p.* 1. *n* 16 Interim probandum non eſt Clericos extra caſum neceſſitatis aut pietatis aſſiſtere funeſtis huiuſmodi ſuppliciis. Sapit namque aliquam animi feritatem à lenitate Chriſti prorſus alie-

Quid de his, qui aſſiſtunt ſuppliciis reorum abſque omni cooperatione.

Non decet Clericum hujuſmodi funeſtis ſpectaculis intereſſe, extra caſū neceſſitatis aut pietatis.

alienam, luctuoſum proximi ſupplicium, oculorum ſuorum facere oblectamentum; ſicuti non exiguam præſefert animi levitatem, ſi Clerici mimorum joculatorum aut hiſtrionum ſpectaculis vacent. Unde in Conc. Lateran. ſub Innoc. III. cap. 16. præcipitur illis, ne hujuſmodi ludicris ac omnino vanis ſpectaculis animum oculóſque intendant. Hæc tamen prohibitio in hiſce partibus non videtur eſſe omnino recepta.

Neque vacare mimorum aut hiſtrionum ſpectaculis.

---

# CAPUT XI.

## *De irregularitate, quæ oritur ex delicto.*

HActenus dictum eſt de irregularitate orta ex defectu, modò agemus de eadem orta ex delicto. Numerantur autem ab AA. decem delicta irregularitatem inducentia. Primum eſt homicidium aut mutilatio facta authoritate privata cum peccato mortali inju-

Aſſignantur delicta irregularitatem inducentia.

injuſtitiæ: aut ad injuſtam occiſionem vel mutilationem cooperatio, ſive id factum ſit conſilio, juſſione, auxilio, alióve ſimili modo. Quod ſi ab occiſione aut mutilatione qualitercunque privatâ authoritate facta abſit malitia peccati mortalis, non inducit irregularitatem. Dian. *P.4. tr. 2 reſ. 10* Val. Tan. Kôn. &c. quia nullus reperitur textus, qui aſſerat irregularitatem induci per homicidium, vel mutilationem privatam, niſi interveniat noxa lethalis contra juſtitiam. Excipe inciſionem vel aduſtionem à Clerico in ſacris factam, de qua paulò poſt. De mutilante ſeipſum jam ſupra dictum eſt. Alterum eſt, ſuſceptio Ordinis ſacri eo tempore, quo quis ligatus eſt cenſura v. g. excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. ex cap. *Cum illorum, de ſententiæ excommunic.* in 6. Dixi Ordinis ſacri, quia de Minoribus nulla lex ſtatuta eſt, etiamſi quis in illis ſolemniter

niter miniſtraſſet. Nam hac ætate obeunt munia Minoriſtarum, etiam non habentes primam Tonſuram. V.Bon, *Diſp. 7. q 3. p. 4. & 5* qui cum aliis non improbabiliter cenſet, ſuſcipientem Ordinem ſacrum in cenſura ſolum eſſe ſuſpenſum ab uſu Ordinis ſuſcepti, partim quia in cit. cap *Cum illorum*, verba potius innuunt ſuſpenſionem, quàm irregularitatẽ, partim quia jura ſolum loquuntur de excommunicato ob percuſſionem Clerici, non de ſuſpenſo, aut interdicto, odioſa autem non ſunt extendenda. Præterquam quod ſuſceptio Ordinis non ſit exercitium Ordinis, ſed miniſterium potius paſſivum, quàm activum ut rectè notat Dian. *Part. 5. Tr. 1. Reſ 27.* Tertium ſuſceptio Ordinis ſacri ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpẽſo, hæretico, &c. aut non habente juriſdictionem, vel à proprio in aliena Diœceſi, abſque licentia Epiſcopi illius loci,

ci. Quia tales ordinationes dicuntur irritæ id eſt nullæ, non quidem quoad ſubſtantiam ſeu quoad valorem; ut ſuprà notatum eſt, ſed quoad exercitium & uſum. Cum enim jam dicti Epiſcopi non habeãt uſum Ordinis, etiam non permittuntur illum dare alteri; adeóq; ab illis ordinandi non quidem directè, attamen indirectè impediuntur à ſuſceptione Ordinum. V. Fill. *Tract. 17. de Cenſ c. 16* Ubi probabiliter aſſerit, tales non irregulares, ſed ſolum ſuſpenſos eſſe. Quartum ſuſceptio duorum Ordinum ſacrorum uno die ex cap. 2. & 3. *De eo, qui Ordinem furtivè ſuſcepit.* Bon. l. c. Quintum ſuſceptio Ordinis per ſaltum, quamvis communior ſit ſententia ita ſuſcipientem ſolũ eſſe ſuſpenſum; niſi miniſtret in Ordine per ſaltum ſuſcepto. Bon. Ibid. quia tamen ſic promotus non ſolùm prohibetur ab exercitio Ordinis per ſaltum ſuſcepti,

verùm

verùm etiam nequit Ordinem prætermiſſum ſuſcipere, nec ad Ordinem ſuperiorem aſcẽdere, videtur ſimul incurrere partialẽ irregularitatem, qualem & illi incurrunt, qui recipiunt majores Ordines extra ſtatuta tempora, vel ante legitimam ætatem, vel abſque literis dimiſſorialibus, prout colligitur ex Extravag. Sixti V. incip. *Sanctum & ſalutare* &c. per quàm non ſolum privantur uſu Ordinum ſusceptorum, ſed etiam repelluntur ab aliis ſuſcipiendis. Nam irregularitas impedit ſuſceptionẽ Ordinum; ſuſpenſio verò prohibet exercitium eorum. Eademque eſt ratio de eo, qui furtivè, id eſt, neſciente Epiſcopo, nec approbante aut examinante, Ordines ſuſcipit, & quidem eum, qui furtivè ſuſcipit Diaconatum, fieri irregularẽ conſtat ex cap. *Veniens, de eo, qui furtivè,* &c. de ſuſceptione aliorum Ordinum idem ſentiũt Suar. Fill. & alii comm.

perſuaſi

perſuaſi hanc ſemper fuiſſe & eſſe mentem Eccleſiæ. V. Fill. *Tract* 20. *de Cenſ. c.* 7. ubi citat c. *1.* & ult. *De eo, qui furtivè,* & Gloſſ. ibid. quia tamen in citato capite *Veniens*, ſola fit mentio Diaconatûs & non aliorum Ordinum, cenſet Bon. *de Cenſ. diſp.* 7 *q.* 3. *p.* 4 Incurri irregularitatem per furtivam ſuſceptionem Diaconatûs, nõ verò aliorum Ordinum, ſed per eam incurri ſolum ſuſpenſionem. Nam quæ odioſa ſunt facile extendi non debent. Sextum violatio cenſuræ Eccleſiaſticæ per actum Ordinis, cujus uſus per cenſuram impediebatur, ſolemniter exercitũ. Septimum uſus Ordinis ſacri ſolemnis, quo quis non eſt initiatus. Octavum receptio vel etiam collatio iterata Baptiſmi ſcienter facta. Rebaptizans tamen unà cum illo, qui ita baptizanti miniſtrat, ſolùm incurrit irregularitatem partialem: Quia ſi Clericus ſit, tantum prohibetur ad Ordinem altio-

altiorem aſcendere. V. c. 2. de Apoſtatis. Bon. *diſp.* 7. *q.* 3. *p.* 3. Laym. &c. Nonum, ſuſceptio Baptiſmi ab homine hæretico, in cap. *Ventum eſt*, 1. *q.* 1. Verùm quia hæc irregularitas ſtatuta eſt in odium Hæreſis, & voluntariæ ſuſceptionis Baptiſmi ab hæretico, idcircò eam ſolùm incurrunt adulti ſcienter ab hæretico baptizati. Fill. Tr. 20 *de Cenſ. c.* 6. Decimum. Admiſſio criminis enormis & depoſitione digni, quod vel juris vel facti annexam habet infamiam, ut Hæreſis, Apoſtaſia à fide, favor aut defenſio hæretico vel apoſtatæ præſtita &c. Item Apoſtaſia poſt factam profeſſionem in Religione. Bon. *Diſp.* 7. *q.* 3. *p.* 7. *juxta cap. Hi qui, diſt.* 50.

## CAPUT XII.

### *De requiſitis, ut irregularitas ex delicto incurratur.*

Circa hæc delicta irregularitatem inducentia obſervan- In dubiò comiſſi delicti non in-

currritur ir- regularitas. ſervandum eſt. Primò, quoties dubius hæres, num aliquid ex modò recenſitis delictis admiſeris, ſtante hoc dubio, eris immunis ab irregularitate: Quia hæc non incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis; in nullo autem jure exprimitur ex delicto dubio gigni irregularitatē, ſi exceperis dubium homicidium. Illi enim jura irregularitatem expreſsè tribuunt in cap. *Significaſti*, & in cap. *Ad audientiam de hom.* Proinde ſi noveris te admiſiſſe actum mortaliter injuſtum, ex quo ſequi poterat mors vel mutilatio, es autem dubius in caſu ſecutæ mortis, &c. num verè ſit ſecuta ex actu tuo graviter peccaminoſo contra juſtitiam, nec ne; debebis te pro irregulari gerere, donec ſcias ex tuo facto ſecutam non fuiſſe: Vaſq. Turr. Dian. Eſcob. & alii. V. Gob. in Quinar. *Tract. 5. c. 20. n. 14.* Dixi ex actu graviter peccaminoſo contra juſtitiam. Nam ſi mors aut

Excipe dubium homicidium aut mutilationem.

Quid ſi ho-

aut mutilatio ſequatur ex actu ſolùm venialiter injuſto, non eris irregularis. Quia irregularitas eſt pœna graviſſima, quæ ob delictum veniale imponi nequit, cùm pœna debeat commenſurari delicto. Unde per homicidium caſuale non intelligitur illud, quod per meram inadvertentiam citra omnem culpam admittitur, hoc enim non inducit irregularitatem, ſed quod committitur ſcienter ob periculum occiſionis vel mutilationis ſatis præviſum, nec debitè cautum, non tamen ex directa & formali intentione occidendi aut mutilandi. Nam quod ex intentione fit, dicitur homicidium voluntarium. Gob. *Tr. 8. Caſ 17. Sect. 1 n. 650* Ab hac tamen doctrina unicum caſum excipe à jure deciſum in cap. *Sententiam Sanguinis, ne Clerici vel Monachi.* & cap. *Tua nos de hom.* Nimirum Clericum in ſacris adinſtar chirurgi ſecantem vel adurentem fieri irregu-

micidium aut mutilatio ſolum ſequatur ex actu venialiter injuſto.

Clericus in ſacris adinſtar chirurgi ſecans

aut adurens tametſi diligenter & peritè id faciat, morte ſecutâ fit irregularis.

regularem, quoties ex ejus inciſione vel aduſtione mors ſequitur, tametſi diligenter & peritè id faciat. Nam licet nulla hic interveniat culpa, nihilominus incurritur irregularitas ob exercitium actionis prohibitæ à jure propter periculum mortis, & quidem ſub gravi peccato prohibitæ; pro ut colligi poteſt ex gravitate pœnæ, ſub qua prohibitio facta eſt. Hæc tamen modò dicta non ſunt accipienda pro caſu extremæ neceſſitatis, quia in caſu, quo obligat jus naturæ, ceſſat prohibitio juris poſitivi. Neque ſi Clericus in Sacris, citra abſciſſionem vel aduſtionem exerceat officium medici vel chirurgi, nec ſi jubeat aut ſuadeat inciſionem vel aduſtionem, aut chirurgum adjuvet ad juſtè abſcindendum membrum alicujus infirmi, dummodo per ſe non abſcindat, aut ſi aperiat venam [quamvis hoc alii probabiliter negent. Bon. *Diſp. 7. q. 4. p. 1.*]

Quid ſi citra abſciſſionem vel aduſtionē alia exerceat, quæ ſunt medici aut chirurgi.

Vel

Vel ſecundum regulas artis medicinam porrigat, vel denique emplaſtro apoſtema aperiat: quia in cit. cap. *Sent. ſang.* ſolùm prohibetur abſciſſio vel aduſtio. Mol. *Tom. 4 diſp 75.* Dian. Bon. l. c. &c. Minùs tamen congruit, niſi pietas & Chriſtiana miſericordia aliud ſuadeat, ut hi ſeſe occupent curandis corporibus, qui pro hominibus conſtituti ſunt in iis, quæ ad Deum ſunt, ut offerant dona, & ſacrificia pro peccatis, & condolere poſſint iis (inſtruendo, hortando, conſulendo) qui ignorant & errant *ad Eph. 5* Obſervandum ſecundò; Ad incurrendam irregularitatem ex defectu non quidem requiri ſcientiam juris, id eſt, non eſſe neceſſe, ut is, qui patitur talem defectum, ſciat à jure illi annexam eſſe irregularitatem, adeóque illum, qui privatâ auctoritate aliũ injuſtè occidit, etſi ignoret ex homicidio injuſto oriri irregularitatem, fore nihilo-

Clerici in ſacris extra caſum neceſſitatis aut Chriſtianæ pietatis conſultius abſtinent ab exercitio artis medicæ aut chirurgiæ.

Ut incurratur irregularitas ex defectu nõ requiritur ſcientia juris.

minus irregularem ob defe-
ctum lenitatis. Attamen ut ex ſolo delicto incurratur irregularitas, neceſſe eſt, ut is, qui illud patrat, ſciat id à jure prohibitum eſſe ſub pœna irregularitatis. Nam ignorantia juris, dummodo non ſit craſſa & mortalis, excuſat à pœnis Eccleſiaſticis Dian. *P 4. tr. 2. reſ. 85.* Sanch. & alii. Obſerv. tertiò non eſſe improbabile, ſaltem ob auctoritatem DD. ex nullo delicto quantumvis enormi quenquam fieri irregularem, niſi ſit notorium & publicum, id eſt, notum majori parti viciniæ vel loci, in quo quis habitat, eo quod hujuſmodi delictis ob infamiam ipſis annexam videatur impoſita pœna irregularitatis, quæ ceſſat in delicto occulto. V. Barboſ *in Trid Seſſ. 24. c. 6.* Dicitur autem illud crimen occultum, quod non eſt divulgatum, hoc eſt, quod neque notorium eſt per ſententiam Judicis, nec per ipſius rei confeſſio-

Atverò, ut ex delicto neceſſe eſt. ut ſciatur prohibitum eſſe ſub pœna irregularitatis

Probabiliter ex nullo delicto incurritur irregularitas; niſi ſit notorium & publicũ

feſſionem factam in judicio, neque per evidentiam facti, nec denique per publicam famam, tametſi ſit admiſſum coram tribus vel quatuor, ita ut legitimè probari poſſit in judicio. Nam delictum poſſe probari non facit illud notorium & publicum. Excipe homicidium & mutilationem occultam, quia hæc licèt occulta ſint, ex defectu lenitatis inducunt irregularitatem. Contrarium tamen videtur eſſe probabilius ex eo, quod Trident. *Seſſ 24 c 6 de reform.* concedat Epiſcopis facultatem diſpenſandi, in irregularitate ex delicto occulto, exceptis homicidio voluntario juſto, ſive injuſto, & aliis delictis ad forum contentioſum deductis, id eſt, iis, de quibus coram Judice & in judicio controvertitur. Quam ſane facultatem Trid. gratis concederet, niſi ſupponeret ex delicto occulto irregularitatem oriri poſſe.

Excipe homicidium & mutilationem occultam.

Contraria ſententia eſt probabilior ex delicto etiam occulto irregularitatem oriri.

# PARS III.

## *De Obligatione Ordinatorum.*

## CAPUT I.

### *De caſtitate à Clerico majorum Ordinum vi voti ſolemnis perpetuò ſervanda.*

Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, obligantur ad perpetuam caſtitatem vi voti ſacro Ordini annexi.

OMnes & ſoli Clerici in Majoribus conſtituti, non quidem jure divino, cum nullus textus S. Scripturæ hanc obligationem inſinuet, ſed ſolo humano obligantur ad perpetuam totius vitæ caſtitatem mente & corpore ſervandam: Patet ex pluribus Canonibus & noviſſimè ex Trid. *Seſſ.* 23. *c.* 13. *de reform.* ídque vi voti ſolemnis ſacro Ordini ab Eccleſia annexi. Dicaſt. *Tract.* 6. *de Ordin. diſp.* 1. *dub.* 26. Sanch. & alii

& alii plures. Ignorans hanc voti obligationē ſacro Ordini annexam, nihilominus dicto voto adſtrictus eſt. Quia prudens volens ſuſcipiendo ſacrum Ordinem, cui obligatio vovendi annexa eſt, cenſetur virtualiter & re ipſâ vovere, quia vult id omne, quod tali Ordini annexum eſt. Dicaſt. l. c. Quod ſi ſuſcipiens ſacrum Ordinem nollet vovere caſtitatem, is quidem voto caſtitatis non obligabitur, quia votum eſt promiſſio eſſentialiter pendens à libera voluntate, peccabit tamen graviter peccato inobedientiæ, non emittendo votum præceptum ab Eccleſia. Qui in infantia ſuſcepit ſacrum aliquem Ordinem v. g. Subdiaconatum, modò poſt adeptum plenum uſum rationis, vel poſt pubertatem, vel etiam poſt decimū ſextum annum ætatis, ut vult Gob. *Tr. 8 caſ 20.* ſponte non ratificet ſuam ordinationem, non tenetur voto, quia ante

Quid ſiquis ignoret hanc obligationem.

Aut ſuſcipiens ſacrū Ordinem, nollet vovere caſtitatem.

Aut infans ſacrum Ordinem ſuſcepiſſet.

hos ætatis annos non valet votum ſolemne caſtitatis religioſæ, adeóque nec probabiliter votum ſolemne caſtitatis clericalis. Idem eſt dicendum de illo, qui, ex gravi metu injuſtè incuſſo, ſacrum Ordinem ſuſcipit. Cùm enim Eccleſia irritet Matrimonium, vel religioſam Profeſſionem ex ſimili metu profectam, etiam probabiliter non volet ſubſiſtere votum ſolemne caſtitatis, ex jam dicto metu emiſſum. Sanch. *de Matrim. l. 2. dub. 29.* Azor. Kôn. &c. Non poſſum hoc loco ſine gemitu & cordis dolore, ex multorum turpi lapſu juſtè concepto, tacitus diſſimulare, quin omnes ſacris Ordinibus initiatos per ſacroſancta Myſteria Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti humillimè horter ac rogem, ut caſtitatem velut ſponſam unicè dilectam, quam Apoſt. *ad Hebr. 12.* ſanctimoniam appellat, ſine qua nemo videt Deum: omni diligentiâ ac ſtudio

Vel ex gravi metu injuſtè incuſſo.

Unicè commendatur amor & ſtudium caſtitatis.

dio

dio in ſe quiſque illæſam conſervare allaboret. Hanc Angelicæ vitæ imitatricem, ſpiritualem currum in ſublime mortalium animos evehentem, roſam homines angelóſque boni odoris fragrantiâ ſuaviſſimè afficientem, hanc inquam, [neglecto turpi ac putido amore humani corporis, ſordium, ac fœtoris officinæ,] quiſq; initiatorũ cum D. Ephr. *Serm de caſt tom* 1. his ſinceriſſimæ mentis affectibus proſequatur: O caſtitas, quæ mundo es corde ac dulci gutture, hilaríque aſpectu! ô caſtitas, quæ homines Angelis ſimiles reddis! ô caſtitas, quæ Dei amicum [caſtiſſimum Joſeph, Ægypti Proregem] ita exaltâſti in patria aliena, ut eos, qui emerant ipſum, redimeret *Gen* 39 ô caſtitas donum Dei, benignitatis, diſciplinæ, cognitioníſque plena! ô caſtitas, portus tranquillus in ſumma pace ac ſecuritate conſtitutus, &c. Hæc omnis ho-

neſtatis mater, ut in ſtatu clericali illibata permaneret, ſolicite ſancivit Concil. Nic. cap. 3. & poſt illud Trident. *Seſſ* 21. *cap.* 1 *de reform.* Nulli omnino, qui de Clero eſt, licitum eſſe domi ſuæ ullam habere mulierem, niſi fortè aut matrem, aut ſororem, aut amitam, aut materteram, aut eas tantum perſonas, quæ ſuſpiciones effugiunt. Nam ut rectè inquit Salomon *Prov.* 5. *Noviſſima fallacis mulieris amara, quaſi abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps.* Frequenter animo volve illud Hieron. *Ep.* 2. *ad Nepot.* Nec ſanctior Davide, nec Sampſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Eodem videtur reſpexiſſe Conc. Lateran. ſub Innoc. III. c. 15. quando juſſit omnes Clericos abſtinere à crapula & ebrietate, utpote libidinis fomite ac nutrice; nec quenquam ad bibendum incitari: & *cap* 16. tabernas ac cauponas, aliáque ejuſmodi loca,

Pro caſtitatis integritate ſtudioſè conſervanda præcipitur Clericis, ne domi ſuæ habeant ullã mulierem, niſi proximè cognatã aut omnino non ſuſpectam.

Item ut abſtineant à crapula, ebrietate, tabernis, cauponis, &c.

loca, quibus in Conc. Agathenſi *cap. 9 diſt. 34* annumerantur convivia nuptialia, obſcœno cantu, choreis, & saltibus feſtiva, à Clericis vitari, niſi fortè cauponæ & publica hoſpitia neceſſitatis cauſâ v. g. dum quis eſt in itinere, adeunda ſint. In his enim locis non modò ſobrietas & pudicitia, verùm etiam clericalis Ordinis dignitas & æſtimatio periclitatur. Quoniam, qui omnibus ob divinum Miniſterium honori ac venerationi eſſe debebat, is ob frequentatas publicas tabernas & longam inter ſcyphos ac pocula moram, omnibus fit contemptui ac ludibrio. Siquidem D. Auguſt. teſte, *lib. de Pœnit.* Ebrioſus abominatur à Deo, deſpicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, confunditur à dæmonibus, conculcatur ab omnibus.

Clericus potui deditus, omnibus fit contemptibilis.

* * *
* *

# CAPUT II.

## *De Horis Canonicis ſub gravi Obligatione recitandis.*

In Maioribus conſtituti obligãtur ad Horas Canonicas.

CLerici in Majoribus conſtituti, etiam dum ſunt ſuſpenſi, excommunicati, degradati ſecundum Bon. & alios, contra alios, aut per diſpenſationem Pontificiam uxorati, quia nullo privilegio à communi onere eximuntur, ſub gravi culpa tenentur ad Horas Canonicas quotidie recitandas, quamvis nullum Eccleſiaſticum beneficium obtineant. Eſt comm. DD. paſſim aſſerentium hanc obligationem, ſi non ſit ex jure poſitivo, ſaltem eſſe ex conſuetudine graviter obligante V. Laym. *Tract. 1. de Hor. Can. cap. 4.* & alios.

Subdiaconatum ſuſcipiens ad quid obligetur eo die, quo ſacrum Ordinem ſuſcipit.

Eo die, quo quis Subdiaconatum ſuſcipit non tenetur ad totum officium illius diei, ſed ſolùm ad Horas, quæ poſt ſacri Ordinis ſuſceptionem ſecundum conſuetu-

d nem

dinem ſeu Romanæ ſeu Diœceſanæ Eccleſiæ, in qua ordinatus eſt, dici ſolẽt: adeóq; ſi horâ undecimâ ordinatus eſt, ſummùm tenebitur ad Sextam & Nonam cum Veſperis & Completorio Pal. *Part. 2. tr. 7 p 4.* Aut ſaltem ſecundum ſententiam probabilem ad ſolas Veſperas cum Completorio Bonart. *Lib. 2 c. 19.* Non enim videtur Eccleſia velle eo die obligare Clericos ad parvas Horas, utpote partem ſpectantem ad Officium præcedentis diei; ſed ſolùm ad Veſperas & Completorium, à quibus inchoari ſolet Officium ſequentis diei. Quod ſi anticipatò ante ſuſceptionem ſacri Ordinis recitâſſes totius diei Officium, non teneris dein ordinatus quicquam repetere, quia quod debebas Eccleſiæ, anticipatè poteras ſolvere, & ſolùm quoad modum, dicendo v. g. Veſperas cum Completorio ante horam ordinationis, quæ ſolet eſſe ante meridiem

diem, aut recitando eo tempore, quo nondum erat initiatus Eccleſiæ Miniſter, non verò quo ad ſubſtantiam erraſti, ita probabiliter Dian. *Part. 6. tr. 7. reſ 38* cum Trul. *in dec. tom 1. lib 1 cap. 7. dub. 13.* contra Bon. te obligantem ad repetendas Horas, correſpondentes tempori ordinationis, eo quod non recitaveris nomine Eccleſiæ, à quo nondum deputatus eras tanquam Miniſter ad publicas preces

Clerici in Minoribus an ad certas preces ſint obligati Item an in ſacris conſtituti teneantur ad preces & ſacra, quæ Epiſcopus ipſis recenter ordinatis injungit.

ejus nomine fundendas. Dixi 1. in Majoribus conſtituti. Nam Clerici minorum Ordinum ad nihil tenentur: quamvis ex decentia & honeſtate hos orationi magis deditos eſſe oporteat, quàm láicos. Dixi 2. tenentur ad Horas, &c. Nam ad preces & ſacra, quæ vel ipſis vel aliis recens Ordinatis, Epiſcopus ſolet injungere, nemo obligatur ſub rigoroſo præcepto, ſed potius ex quadam decentia. Pelliz *in Man Reg. tr. 8. c. 2.* & alii. Interim nemo inge-

ingenui pectoris detrectabit id implere, quod piè & laudabiliter ab Epiſcopo per modum conſilii ſuggeritur. Cætera ad obligationem Horarum ſpectantia alibi fuſiùs tractabimus.

# CAPUT III.

## *De Corona & Habitu Clericali.*

CLerici in majoribus Ordinibus, item omnes beneficiati obligantur ad coronam & habitum clericalem in cap. *Si quis, de vita & honeſt. Cler.* ut quemadmodum Clerici à Laicis diſcreti debent eſſe in converſatione, juxta verba Anacleti Papæ ad Eccleſias Gallicanas, ita tonſurâ & habitu, diſcreti appareant. Geſtatur autem corona clericalis in memoriam coronæ ſpineæ Salvatori impoſitæ, ut ejuſdem Miniſtri, ad irriſiones & opprobria, pro gloria Domini ſui ſufferenda, promptos ſe paratéſ-

Clerici in Majoribus, itē omnes beneficiati obligantur ad coronā & habitum clericalem.

Quorſum corona clericalis geſtetur.

ratóſque oſtendant. Cæterùm quantum peccetur hæc negligendo, in eo diſcrepant AA. Nav. *c. 13.* cum aliis vult peccari graviter, quia juxta Trid. *Seſſ. 14. c. 6. de reform.* negligens tonſuram & habitum affici poteſt pœnâ ſuſpenſionis, quæ pœna non ſolet ſtatui niſi ob peccatũ grave. Econtra Vaſq. *diſp. 250 c. 3.* & cum eo alii docent, non peccari graviter, modò abſit contumacia & contemptus, & non ſit periculum cauſandi vilipẽdium Ordinis clericalis, quia à Trid. l. c. ob reverentiam & honeſtatem ſacri Ordinis talis habitus præſcribitur. Proinde ſi ex juſta cauſa vel ad breve tempus ſine detrimento honeſtatis habitus deponatur, nullum erit peccatum. V. Laym. *Tr. 9 c. 12. de ſacr. Ordin.* Ubi rectè notat, ſpectandam quoad hoc cujuſque Diœceſis conſuetudinem. Ex quo infert Gob. *Tr. 8 de Ord. Caſ. 20* neminem in Germania facilè damnandum pec-

Quantum peccet Clericus negligendo coronam & habitum,

cati

cati mortalis, ſi in vertice nullum veſtigium coronæ appareat per ſex vel octo hebdomadas; quamvis omnes hortandi ſint, ut propter reverentiam ſacri Ordinis & ſtatus ſui, eam ſingulis menſibus renovari faciant. Cujus ratio eſt, quia ex longiori coronæ neglectu nemo facilè graviter offendetur aut ſcandalizabitur, ſicuti foret, ſi in habitu omnino profano incederet publicè, per plateas & vicos.

## CAPUT IV.

### *De armis non geſtandis, luſu alearum, chartarum, &c. venatione non facienda.*

EXcuſari à culpa nō poterit Clericus, qui clericali habitu indutus, abſque rationabili & juſta cauſa, aut legitima conſuetudine permittente, arma geſtat. Quia communis populi perſuaſio eſt, arma non decere ſtatum & habitum clericalem; unde etiam uſus armorum Clericis

Utrum licitum ſit Clerico geſtare arma.

Clericis prohibetur in cap. *Clerici & Clem.* 1. *de vita & honeſtate Cler.* Putátque Felin. cum aliis, Clericos arma deferentes poſſe affici pœna excommunicationis. V. Bon. *Diſp. 8 de Ord. q. unic p ult. &c* Aut qui frequenter & publicè cum ſcandalo populi contra prohibitionem Canonum cap. *Clerici de vita & honeſtate Clerici &c.*

Item ludere luſu alearum, &c.

Ludit luſu alearum, taxillorum, chartarum aut ſimili, qui magis fortunâ quam arte & induſtria regitur. Dixi cum ſcandalo populi, quia hi Canones non cenſentur recepti in ſummo rigore, niſi ludatur cũ ſcandalo proximi. Leſſ. *l. 2. c. 26. dub* 1. Laym & alii. Imò habet Dian. pro certo. *p 7. tr 9. reſ.* 3. cum Amico, non diſſentiente Dicaſt. Trull. &c. Huic prohibitioni ita per contrariã conſuetudinem derogatũ eſſe, ut Clericus non peccet, ſi præcipuè recreationis gratia & ſimul pro lucro moderato, attentâ qualitate & facultate

perſonæ

perſonæ ludentis, ludat ludis prohibitis, idque vel maximè, ut notat Laym. Si conſuetudo loci eos permittat, & quodammodo cohoneſtet. Vel denique qui frequenter & cum ſcandalo proximi venationem inſtituat, præſertim illam, quæ dicitur clamoſa, id eſt, quæ fit cum armis, tumultu, canum clamore, cùm hæc utpote non ſatis decens ſtatum clericalem, & animum à ſpiritualibus multum avocans, Clericis prohibita ſit, *C. quorumdam diſt. 34. & c. 1. de Cleric. venat.* Et à Trid. *Seſſ 24. c. 12. de reform.* Hujuſmodi tamen venatio per ſe loquendo non erit mortalis, niſi fortè aliam malitiam per accidens v. g. gravis ſcandali &c. adjunctam habeat, ut docet Mol. *diſp. 44.* Cajet. Sa &c. Imò attentis circumſtantiis loci, perſonæ, conſuetudinis, nequidem erit venialis, ſi raro & moderatè fiat, idque ex rationabili cauſa v. g. neceſſitatis vel exercitii corporalis,

Aut deniq; venari.

ralis, aut honeſtæ recitationis. V. Laym. *L 3 tr 1 c. 15.* Sylv. & alios. Dixi illam, quæ dicitur clamoſa. Nam quieta, quæ fit cum retibus, laqueis, paucíſq; canibus, modò rarò fiat, non eſt prohibita Clericis, ut docet Medin. *Q. 12. cap. de reſt.* Sylv. &c. V. Leſſ. *Lib 2. cap. 6. dub. 8.*

---

# CAPUT V.

## *De negotiatione Clericis prohibita.*

Clericis in maiore Ordine conſtitutis non eſt licitum negotiari.

CLericis in Majoribus conſtitutis ſeverè, ídque ſub mortali prohibita eſt negotiatio, maximè ſi multa & frequens ſit: utpote multorum peccatorum periculis expoſita, valde diſtractiva, adeóque ſtatum Clericalem parùm decens cap. *Conſequens, diſt 88 &c.* Ita DD. comm. niſi fortè neceſſitas quempiam excuſet, ut quia aliter ſe alere nequit. Nav. *Lib 3 conſ 3.* Laym. &c. Dixi ſi multa & frequens ſit, quia

quia ſemel aut iterum negotiari in re non magna, non erit mortale. Leſſ. *Lib.2. cap. 12. dub. 1.* Fill. Dian. &c. Dicitur autem is negotiari, qui merces v. g. vinum, frumentum, &c. emit, ut eas poſt cariùs vendat lucri faciendi gratiâ: aut qui lucri gratiâ emit merces, ut eas in melius mutatas & melioratas vendat v. g. lanam, ut illam in pannum mutatam divendat, item boves & porcos, ut ſaginatos vendat, hordeum, ut mutatum in cereviſiã diſtrahat. Prior eſt negotiatio propriè, poſterior impropriè dicta. Non eſt igitur negotiari, ſi per accidens fiat, ut id, quod ad proprium uſum emiſti, poſtea oblatâ occaſione cariùs vendas, quia non eo animo emiſti, ut lucri gratiâ venderes, quod ad negotiationem requiritur. Similiter non negotiatur, qui vinum, triticum, &c. ex rediribus beneficii, vel patrimonialibus proveniẽtia vendit, quia vendit

Explicatur quid ſit negotiari.

Item quid Clerico liceat circa venditionẽ rerum ſuarum.

vendit res ſuas & non emptas lucri gratiâ. Imò qui pecora empta, & in propriis prædiis ſaginata, vel ex propriis agrorum fructibus confectam cereviſiam vendit, aut in ſuis pratis gregem alit, unde poſtea fœtus, lac, lanam vendat, non cenſetur negotiari, quia vendit fructus, aut quaſi fructus, prædiorum vel agrorum ſuorum. Sicuti nec ille, qui emit agrum aut vineam cum fructibus jam maturis, illóſque deinde vendit, quia vendit fructus agri ſui. Idem eſt de eo, qui prædia vel jumenta ſua alteri elocat, quia rem ſuã elocat. Non erit tamen licitum jumenta emere, ut ea deinde pro certa penſione elocet, quia id ſapit negotiationem aliquam, ut docet Mol. *diſp.* 241, *concl.* 5. Laym. *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. § 7. Nec conducere agros, ut eorum fructus vendat, quia hoc ob ſpeciem negotiationis in Conc. Carthaginenſi Clericis ſpecialiter prohibitum eſt.

V.C.

V. C. Lugo. *diſp. 26. ſect. 3.* Denique rem aliquam emptam, & proprio manuum labore melioratam vel immutatam vendere, non eſt negotiari, quia vendit fructum manuum ſuarum, exemplo veterum Monachorum, qui corbes & retia, ſuis manibus elaborata olim vendere ſolebant. Adde quod Clericis non ſit illicitum negotiari per alium, nam illis ſolùm prohibitum eſt negotiari per ſe, præterquam quod in negotiatione per alium videatur ceſſare finis prohibitionis. Leſſ. *L. 2. c. 21. dub.* 1. Dian. Wigers, contra alios. Unde licitum erit tradere pecuniam laico vel cum eodem ſocietatem inire, ut is ſolus negotietur; lucrum autem vel pars lucri ad Eccleſiaſticum tranſeat. Ab hoc tamen negotiandi modo, utpote clericali ſtatui parum convenienti, niſi fortè neceſſitas aut conſuetudo loci excuſet, abſtinendum eſſe rectè monet. Mol. & Leſſ.

An Clerico licitum ſit negotiari per alium.

Negotiatio per alium clericali ſtatui parum convenit.

ll. cc. idque ob ſpeciem avaritiæ , & nimiæ cupiditatis habendi. Qui enim volunt divites fieri, ut ait Apoſt. *1. ad Tim.* 6. incidunt in tentationem , & in laqueum Diaboli , & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Habentes igitur alimenta, juxta eundem Apoſt. l. c. & quibus tegamur, his contenti ſimus.

FINIS.

# Index rerum & verborum, quæ hoc Libello continentur.

## A

ABBATATUS an ſit Ordo. pag. 37. Abbatibus unde competat ſpecialis poteſtas conſecrandi Altaria, Calices, &c. conferendi primam Tonſuram, item Ordines minores, ibid. An eiſdem poſſet competere poteſtas conferendi Ordines majores. p. 38. ACOLYTHATUS quæ ſit materia & forma. Et quod illius Officium. p. 26. & 27. ÆTAS quæ & qualis ad Ordines prærequiſita. p. 51. & ſeq. & utrum in ea Epiſcopus diſpenſare valeat. p. 53. Item an dies biſſextilis in ætate ordinandi computari poſſet. p. 54. & ſeq. ANIMI DEFECTUS qui & quales irregularitatem inducant. p. 90. & ſeq. ANIMUS CLERICANDI

quid ſit, & an neceſſariò præmittendus primæ Tonſuræ, & quatuor Minoribus. p. 49. & ſeq. APTITUDO ad beneficium Eccleſiaſticum per quid habeatur. p. 13. ARMA an licitum geſtare Clerico. p. 139. & ſeq.

B

BAPTISMUS an neceſſario præmittendus Sacramento Ordinis. pag. 48. BELLUM JUSTUM, aliud offenſivum; aliud defenſivum. p. 106. & ſeq. Quid in utroque liceat ad vitandam irregularitatem. ibid. In bello injuſto quinam fiant irregulares. p. 107. & ſeq. BIGAMIA quæ & qualis irregularitatem inducat. p. 101. & ſeq. BONA CLERICORUM, an ſint exempta à jurisdictione & poteſtate ſæculari: & quo jure, humano; an divino. p. 15. & ſeq. BONÆ FAMÆ defectu quinam ſint irregulares. p. 99. & ſeq.

C

CASTITAS an Clericus ſuſcipiendo Subdiaconatum obligetur ad caſtitatem

tatem perpetuò ſervandam. Quid ſi ignoret hanc obligationem ſacro Ordini annexam, aut ſciens nollet ſe obligare: aut infans ſacrum Ordinem ſuſcipiat. Hæc virtus quantoperè Clericis commendata eſſe debeat: & à quibus ad hanc ſervandam eos abſtinere oporteat. p. 130. & ſeq. Character ſpiritualis per Ordinem collatus quid ſit. p. 45. Et qua ratione dicatur extendi in illis Ordinibus, in quibus adhibetur duplex partialis materia & forma. p. 45. & ſeq. CHIRURGIA aut ars medica, an Clericis in ſacris licita. p. 123. & ſeq. CLERICI in Minoribus an ad certas preces obligati. p. 136. Item in Majoribus an obligati ad preces & ſacra, quæ recens ordinatis Epiſcopus injungit. ibid. An Clericis licitum intereſſe ſuppliciis reorum abſque juſta cauſa. p. 114. & ſeq. Aut vacare ſpectaculis Mimorum, vel Hiſtrionum. p. 115. CONFIRMATIO an neceſſariò præmittenda Sacramento Ordinis. p. 48. Corona clericalis quorſum geſtetur: & an, ac quibus ex obligatione geſtanda. p. 137.

p.137. CORPORIS DEFECTUS, qui & qualis irregularitatem inducant. p.88. & ſeq.

D

DELICTA, quæ & qualia irregularitatem inducant. p. 113. & ſeq. Quid ſi dubites de admiſſo delicto. p. 122. Et ſpeciatim de homicidio. ibid. Quid ſi non ſint notoria. p. 126. Vel ignorentur à jure prohibita ſub pœna irregularitatis. p. 125. & ſeq. DIACONATUS quæ materia & forma, & quod illius munus. p. 29. & ſeq. DIACONISSÆ olim in Eccleſia quæ & quales fuerint. p. 47. & ſeq.

E

EPISCOPATUS ſitne Ordo diſtinctus à Sacerdotio: & ſi diſtinctus, an idcircò dicendum octo eſſe Ordines. p.7. & ſeq. Quæ illius materia & forma. p. 34. Et quæ munia illi annexa. p. 35. EPISCOPUS an ſolus ſit ordinarius

Miniſter

Miniſter Ordinum. p. 39. Quid ſi eſſet hæreticus, Cenſurâ innodatus, degradatus. p. 40. A quo Epiſcopo prima Tonſura & Ordines ſuſcipi debeant. p. 41. Quis dicendus proprius Epiſcopus, & quis talis ratione originis, domicilii, aut beneficii. p. 41. & ſeq. Quid ſi habeas triplici titulo tres proprios Epiſcopos, an poteris à ſingulis petere literas dimiſſoriales: Item ab uno petere unum, ab alio alterum Ordinem. p. 44. Ut quis ab alieno Epiſcopo ordinetur, an neceſſariò petendæ ſint literæ dimiſſoriales. p. 41. EXORCISTATUS quæ materia & forma, & quod ejuſdem Officium, p. 26.

F

FILIUS Hæretici ad fidem converſus, utrum iſthic, ubi hæreſis infamiam non parit ſit habendus irregularis. p. 92. FILII EXPOSITI an habendi pro legitimis. p. 92. FILIUS SEMPER HABITUS UT LEGITIMUS an tenebitur matri credere in fine vitæ aſſerenti, ipſum

ipſum eſſe illegitimum. p. 93. Quid de eo, qui ſeptimo menſe poſt nuptias, aut duodecimo poſt mortem mariti natus eſt. p. 93. & ſeq. FOEMINÆ an ordinari poſſint. p. 47.

G

GRADATIO Ordinum quid, & ſub qua pœna obſervanda. p. 71. & ſeq. Poteſtne Epiſcopus cum promotis per ſaltum diſpenſare. p. 73. & ſeq.

H

HABITUS CLERICALIS an, & à quibus ſub obligatione geſtandus. p. 137. HOMICIDIUM caſuale utrum inducat irregularitatem. p. 123. HORÆ CANONICÆ à quibus recitari debeant. p. 134. Subdiaconatum ſuſcipiens ad quid eo die tenebitur. ibid. Quid ſi anticipatò ante ſuſceptionem ſacri Ordinis totum Officium recitaſſet. ibid.

I

JEJUNIUM quod & quale ſervandum Epiſcopo & ordinando tempore Ordinationis. p. 80. & ſeq. ILLEGITIMI quâ ratione legitimentur. p. 94. Et quis cum illis diſpenſare poſſit. p. 95. & ſeq. Intentio & voluntas ſuſcipiendi Sacramentum Ordinis utrum ſit neceſſaria in adultis. p. 48. Infanti an validè omnes Ordines conferri poſſint. p. 51. & ſeq. INTERSTITIA temporum ab uno Ordine ad alterum quæ & qualia. p. 74. Circa hæc quid nunc in Germania ſit conſuetudinis. p. 75. & ſeq. IRREGULARITAS quid & quotuple x, & unde oriatur. p. 85. Quid dicendum de ea, quæ eſt ex defectu. ibid. Et hi defectus quotuplices ſint. p. 87. JUDICIUM JUSTUM de licita mutilatione aut morte alterius an inducat irregularitatem. p. 104. Et quinam in hujuſmodi judicio fiant irregulares. p. 109. Quid dicendum de Accuſatore, Teſte, parte ſatellitum ducentium reum ad locum ſuppli-

ſupplicii. ibid. & ſeq. De privatis perſonis ad mortem vel mutilationem licitè concurrentibus. p. 112. & ſeq. Item de aſſiſtentibus ſuppliciis reorum. p. 114.

L

LAICUS per quid fiat Clericus: Item aptus ad beneficium Eccleſiaſticum, & capax privilegiorum Canonis & Fori. P. 13. LECTORATUS, quæ ſit materia & forma: Item quod illius officium. P. 24. & ſeq. LENITATIS defectus quos faciat irregulares. P. 104. LIBERTATIS defectus quos reddat irregulares. P. 97. & ſeq. LITERÆ DIMISSORIALES quid ſint, & à quo petendæ. P, 41. LOCUS quis & qualis, in quo Ordines ſuſcipiendi. P. 79. & ſeq. LUDUS alearum, chartarum, &c. an Clericis licitus. P. 140.

M

MORS aut MUTILATIO ſolùm volita animo, an inducat irregularitatem. P. 105.

N NA-

## N

NATALIUM defectus quis & qualis irregularitatem poſt ſe trahat. P. 9[illegible]. Et an in dubio præſumatur. Ibid. NEGOTIARI quid ſit, & an licitum Clerico. P. 142. & ſeq.

## O

ORDINIS nomen variè accipitur. P. 1. ORDO quid ſit. P. 2. Item quot ſint Ordines. P. 5. & ſeq. Et an ſinguli conſtituant ſingula Sacramenta. P. 12. ORDINES MINORES an ſint vera Sacramenta. P. 9. Quid dicendum de Majoribus. P. 10. & ſeq. Et cur hi ſacri vocentur. P. 8. An ſingulis Ordinibus ſit ſua forma & materia. P. 20. Et quæ ſit remota, quæ proxima. P. 20. & ſeq. Quid forma Ordinum. P. 23. Aſſignatur ſingulis Ordinibus ſua propria materia & forma cum annexo illis munere. P. 24. & ſeq. In dubio de valore Ordinis quid agendum. P. 35. & ſeq. Quis Ordinum

dinum Miniſter. P. 39. & ſeq. Et quis illorum effectus. P. 44. & ſeq. OSTIARIATUS quæ materia & forma: Et quod illius munus. P. 24.

P

PRIMA TONSURA quid ſit, & quid conferat tonſurato. P. 13. PRIVILEGIUM CANONIS quid ſit. P. 14. Item PRIVILEGIUM FORI. P. 15. Et an huic Principes aut Reges derogare poſſint. P. 17. Quid requiritur, ut Clericus privilegio Fori gaudeat. P. 19. Poteſtas, quæ confertur ordinatis circa Euchariſtiam rite adminiſtrandam, quotuplex ſit. P. 2. & ſeq. Et an hæc poteſtas ſemel tradita revocari & auferri poſſit. P. 4.

S

SACERDOS curet in ſe magnam mentis & corporis munditiem. P. 33. Item probitatem vitæ & inſignem doctrinam. P. 61. & ſeq. SACERDOTIUM,

TIUM, quæ illius materia & forma: Item quæ munia illi annexa. P. 31. SACRAMENTI DEFECTUS quos faciat irregulares. P. 101. & ſeq. SCIENTIA. quæ & qualis ad ſingulos Ordines neceſſaria. P. 56. & ſeq. Hæc quali examine ab Epiſcopis exploranda. P. 61. Status gratiæ an prærequiratur ad Sacramentum Ordinis licitè ſuſcipiendum. P. 50. SUBDIACONATUS quæ ejus materia & forma, & quod illius munus. P. 27. & ſeq. Subſidium charitativum an aliquando Epiſcopi aut alii Prælati Eccleſiaſtici à Clericis petere poſſint. P. 18.

T

TACTUS phyſicus materiæ remotæ utrum ſit neceſſarius ad valorem Ordinis. P. 21. Item an debeat eſſe immediatus. P. 21. & ſeq. Aut fieri utraque manu. P. 22. Vel eo tempore, quo forma pronuntiatur. P. 23. TEMPUS anni quod & quale, quo Ordines ſuſcipiendi ſunt. P. 76. & ſeq. TITULUS ſuſtentationis quis & qualis ſit reſpectu Sæcularium,

rium,

rium, & Religioſorum. P. 62. & ſeq. Tituli ſufficientia unde æſtimari debeat. P. 65. Quid circa titulum Patrimonii, aut beneficii notandum. P. 65. & ſeq. Sæcularis an poſſit ordinari ſacro aliquo Ordine, ſi ſuâ induſtriâ & labore honeſto poſſit lucrari, quantum ſufficit ad congruam ſuſtentationem. P. 64. TITULUS MENSÆ. Quid de hoc titulo ſentiendum. P. 66. & ſeq. Et Ordinatis prædicto titulo quæ ſtudioſè cavenda ſint. P. 67. & ſeq.

V

VEnari an licitum ſit Clericis. P. 141.

226
177 –

39 –

143

27 – 30 albus 10 fl

18 40 albus 11 fl

2

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
2392